propter grave damnationis æternæ periculum, cui ille exponeretur, si fortè hæc sententia non esset vera. Cum tamen gratia Dei adjutus possit securum contritionis remedium assequi. Nec placet distinctio quædam, quam in hoc casu adhibet *Salas eadem sect.* 10. *nu.* 93.

35 Excipitur tamen ab ha regula, quando opiniones circa jurisdictionem sacerdotis ad audiendas confessiones versatur, atque opinio probabilis docet illam habere; probabilior autem negat. Talis enim sacerdos nullo modo peccabit audiens confessiones. Ut optimè ait *Suarez 4. tom. in 3. p. disp.* 26. *sectione*, 6. *nu.* 7. 8. & 9. Quòd nullum, aut modicum sit irritandæ, aut effectu gratiæ frustrandæ confessionis periculum. Tum, quia communis error ex ea probabili opinione ortus, satis est ad gestorum per eum sacerdotem valorem. (Ut probavi *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 22. *in fine.*) Et dicit *Suarez eo num.* 8. esse probabile. Et tenet etiam *Leonardus lib.* 2. *de just. c.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Tum etiam quoniam in confessionibus semper quisquam fatetur aliqua venialia cum mortalibus; at quilibet sacerdos certam in venialia jurisdictionem habet, & ideo cum pœnitens non ponat obicem, & sit certa jurisdictio in aliquam materiæ partem, erit certus confessionis valor. Et quamvis careat ille jurisdictione in mortalia, ea indirectè, & per accidens virtute illius absolutionis remittentur. Atque excusabitur pœnitens ab eis iterum confitentis, ratione justæ ignorantiæ: eò quòd juxta probabilem opinionem credatur vera illius sacerdotis jurisdictio. Quamvis hæc exceptio displiceat *Salas eadem disp. unica. sectione* 10. *num.* 101. & *sectione* 27. *nu.* 286. & 287. Quia uterque excusandi modus est dubius. Sed retinenda est exceptio.

36 Nonò deducitur, quid de rege in bello gerendo dicendum sit, an scilicet, id gerere possit sequendo minùs probabilem opinionem, & qualiter in dubio se habere debeat? De qua re inter alios consulantur *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *disp.* 64. *toto c.* 3. *Molina to.* 1. *de justit. disp.* 103. *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. un. sect.* 15. *à num.* 121.

37 Decimò deducitur, quid de medico in curationibus adhibendis sentiendum sit? Et quidem non disputamus, quando opinionum varietas in eo consistit, an liceat medico hoc; vel illud in curationibus agere: tunc enim dicendum est licere ipsi amplectì utramvis opinionem probabilem, etsi altera minùs probabilis sit. Id enim generaliter esse licitum diximus, *num.* 14. Sed difficultas est, quando circa ipsa medicamenta, an salutifera sint, an potiùs noxia, diversæ opiniones extant.

38 Constat hac in re, quando est medicamentum certum, netas esse eo postposito opinionibus uti. Quia cum sequendo quamvis opinionem, adhuc maneat periculum in medicamento, non fideliter munus suum medicus obit, electo eo periculo medicamentum certum omittens, & ideo imprudenter agit, & subinde mortaliter peccat in re gravi. Et ita sustinent *Azor. tomo.* 1. *libr.* 2. *institution. moral. c.* 17. *q.* 11. *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 64. *c.* 4. *nu.* 23. & *omnes*. Insuper constat iniquum esse præbere ægro medicamentum dubium, an salutiferum, an potiùs noxium futurum sit. Sieut rem, quamvis dubiam, efficiens peccat. Et ita fatentur omnes allegandi, & *Navar. Summ. c.* 25. *nu.* 61. & ideo peccant medici gratia experiendi tribuentes id medicamentum dubium. Ut benè *Sayr. in clavi reg. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. *Azor. ea q.* 11. *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. unica, sect.* 14. *num.* 136.

39 Duplex autem est circa medicum difficultas. Prior est, quando de remedio dubitatur, an salutare, an noxium futurum sit, nec remedium adest certius, & aliunde est mors ægri certa, ac de ipsius salute desperatur, an liceat id remedium dubium adhibere? Id negant *Azor. eo. lib.* 2. *instit. moral. c.* 17. *q.* 11. *Salas ea sectione* 4. *nu.* 136. *Vasquez d. c.* 4. *nu.* 22. Quia si non applicetur id dubium remedium, mors infirmi subsecuta non culpæ Medici, sed morbi violentiæ tribuetur. Si verò applicetur, exponitur periculo vita ægri, qui forsan eo non applicato ad sanitatem restitueretur, aut saltem diutiùs viveret. Item videntur sentire *Innoc. c. Tua nos, num.* 1. *de homic. & ibi Anton. nu.* 15. *Abb. ibi* §. *Ad ultimum num.* 4. *Felin. num. unico, versicul. Postremò sciat, Ananias ibi, in initio nu.* 4. *Angelus, verbo Medicus, num.* 2. & *ibi, Sylvest. quæst.* 4. *dicto* 1. ubi generaliter ajunt medicum peccare, si hujusmodi medicamenta dubia applicet. Et eam rationem reddunt, quia in eo dubio medicus partem minùs tutam eligit. Quippe minùs tutum est exponere ægrum novo illius medicamenti periculo, quàm foli naturali ex morbo consurgenti eum relinquere. Immo addunt *Innoc.* & *Anan.* id verum esse, etsi medicus id medicamentum profuturum vehementer suspicetur. Quare *Angelus, Sylvest.* & *Vasquez, Sayr. eo. c.* 10. *num.* 9. 10. & 11. *Salas eo num.* 136. tunc tantùm admittunt posse hoc remedium adhiberi, quando medicus non est verè dubius de medicamenti effectu, sed probabili opinione sua, & aliorum, credit medicamentum profuturum: nec aliud certius suppetit. At mihi probabilius videtur etiam in dubio licere id medicamentum adhibere. Quod docet *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 10. *punct.* 2. *colum. penult. paulò ante vers. Altero modo*, & in hoc eventu ait intelligi id *Galeni* documentum: *Interfice audacter*. Ratio est, quia cum vita infirmi prorsus desperata sit, conformius prudentiæ ac ipsius infirmi, ejusque salutem optantium voluntati videtur, id remedium applicare. Quia si noceat, præter voluntatem erit, & eo quoque remedio non applicato æger obiturus erat: & ex altera parte dubium est, an proderit. Et confirmatur, quia applicare id medicamentum est tutius. Nam eo non applicato mors est certa, applicato autem est salutis spes, quamvis dubia. At tutius est, dubiam salutis spem adipisci, quàm in morte certa ægrum relinqui. Et hoc videntur significare *Cordubain suo quæstionario*, *l.* 3. *quæst.* 5. *post.* 2. *propositionem*, *vers. pro declaratione*, & *Manuel* 2. *tomo. Sum. c.* 51. *n.* 6. *conclus.* 4. ubi docent medicum certum de ægri morte, non adhibito aliquo medicamento, si habeat probabilitatem, non tam certum fore, ut id noceat, debere certius mortis malum fugere, adhibendo id medicamentum. Quare non tantùm ei licere sentio, sed eum quoque obligari. Id enim rationes adductæ probant.

40 Posterior difficultas est. Quando nullum medicamentum est certum, sed variæ inter medicos opiniones versantur circa medicamenta illi morbo applicanda, an liceat medicamento uti, juxta opinionem, quam medicus minùs probabilem credit? Aliquibus videtur fas ei esse uti minùs probabili. Quia, quod ex probabili ratione fit, temeritate, ac imprudentia vacat. Ergo, & culpa. Item, quia est licitum in Sacramentis uti opinione minùs probabili, quamvis non tollatur periculum irritationis illius. (Ut diximus *num.* 33.) Ergo similiter in medicinis corporis, etsi id periculum non esset. Et ita sustinent *Azor. tom.* 1. *lib.* 2. *instit. moral. c.* 17. *quæst.* 11. *Aragon.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dub. penultimo. Salas dicta sectione* 15. *num.* 156.

41 Aliis videtur teneri eligere opinionem probabiliorem. Quòd aliter infideliter saluti ægri consulat, nec tollat periculum, quod in re ipsa est nocendi infirmo, si fortè opinio illa non sit vera: & quamvis maneat quoque periculum secuta opinione, quam probabiliorem credit, si ea vera forè non sit: at ipse excusatur, suoque muneri rectè satisfacit eligens id, quod verius, ac tutius credit. Ita sustinent *Sotus lib.* 3. *de just. q.* 6. *art.* 5. *ad* 4. *Salon.* 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controversia* 2. *ad* 2. Pro qua sententia est *Suarez num.* 32. *allegatus*, docens generaliter in omnibus quæstionibus ad rem spectantibus, quando inde valor rei pendet, non fatis esse opinionem probabilem sequi. Sed quamvis id fundamentum generale non approbarim, *num.* 33, nec hac sola ratione ducar, existimo hanc sententiam veriorem esse. Non, quòd sit contra obligationem justitiæ ex medici officio debitam uti opinione illa probabili, sed contra debitam charitatem proximo indigenti exhibendam: quæ petit, ut certiori medio, quo possumus, ei subveniamus. Sicut in simili agentes de Sacramentorum ministro eligenti opinionem minùs probabilem diximus, *num.* 33. Et non esse contra justitiam probant rationes *ibi*, & *num. precedenti* allatæ.

42 Tandem duo circa medicum observanda sunt. Prius est, non licere medico consulere ægris medicinam, quam putat illis noxiam fore, quamvis norit doctiores sentire fore salutiferam. Quia consulit adversùs propriæ conscientiæ dictamen. Ut potest ægro dicere doctiores medicos id tenere, quamvis ipse ejus sententiæ non sit: atque ita licitè posse eum illa medicina uti. Sic *Navar. c. Si quis autem num.* 74. & 75. *in solutione ad* 3. *de penit. disp.* 7. Quod intelligo, in quantum ast non posse eam medicinam consulere, retento eo dictamine: nam attendens doctiores contrarium asserere, posset prudenter, id deponere, ac eam medicinam consulere. Posterius est, quando medicamentum minimè nociturum novit, dubitat autem, an proderit, teneri illud adhibere. Quia prudentia id dictat, & sic benè saluti infirmi prospicitur. Ita *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *qu.* 10. *punct.* 2. *colum. penult. versic. Altero modo*. Quando autem est par, aut ferè par mortis periculum, sive adhibeatur, sive non, non licet. Sic. *Salas ea sectione* 14. *num.* 135. Quod credo, quando non adest probabilitas aliqua fore, ut prosit.

43 Undecimò deducitur, quid de judice in sententiis ferendis dicendum sit? Et sicut diximus *num.* 37. de medico, & dicemus *num.* 49. de advocato; non agimus quando est controversia, an liceat judici hoc, vel illud agere, ut interrogare in tali casu reum, aut testes, &c. tunc enim jam *num.* 41. universaliter tradidimus licere opinionem minùs probabilem sequi. Et in judice benè notat *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *disp.* 64. *c.* 2. *in init.* Sed difficultas est, quando opiniones versantur circa jus partium, inter quas lis agitatur.

44 Insuper probabilitas major, aut æqualis potest accidere, aut ex parte facti, quia utraque pars testimoniis, aut instrumentis æquè, aut minùs probabilibus intentum suum probat. Et de hac probabilitate, quæ non est opinionum, sed facti, non est instituti nostri agere. Sed consulantur *Salon.* 2. *Sayr.*, *Petrus de Ledesma*, & *Salas*, *num. sequenti allegandi*, latè de ea tractantes. Aut potest accidere ex parte juris, nimirum, quia lex, juxta quam ea lis decidenda est, aliter ab aliquibus Doctoribus, & aliter ab aliis intellegitur, & utramque opinionem æquè probabilem, aut alteram probabiliorem reputat Judex.

45 Et quando utraque opinio est æquè probabilis, quamvis *Bannes* non sine optimo fundamento 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dubio* 1. *circa solutionem ad* 2. censeat non dari judici electionem, sed teneri, vel litigantes componere, vel dividere rem inter ipsos, vel si fuerit indivisibilis, ut primogenium, dividere partem fructuum. At verius est integrum esse judici, quamvis maluerit opinionem eligere, & secundùm eam judicare: immò cessante scandalo, nunc secundùm unam, nunc secundùm aliam. Quia ex vi officii sui, & justitiæ distributivæ non magis uni, quàm alteri id judicii favorabilis bonum debet, sed uterque judicio illo dignus est. Sicut ergo inter duos æquè dignos beneficio datur optio: ita in sententiis ferendis. Nec obstat rem esse dividendam, quando æquales essent ex parte facti probationes. Quia hi se tenent ex parte causæ. & sunt propria media, quibus ea decidenda est. At opinionum diversitas se ex parte judicis tenet, qui communi bono prospicere, & eligere opinionem, secundùm quam judicet, debet. Et ita sustinet *Sotus*, licèt non ita clarè, *l.* 3. *de just. q.* 6. *art.* 5. *ad* 4. & clarè id tenent *Molina* 1. 2. *quæst.* 19. *a.* 6. *f.* 309. *concl.* 2. *Salon* 2. 2. *q.* 63. *ar.* 4. *controv.* 2. *concl.* 1. *Valentia* 2. 2. *disp.* 5. *q.* 7. *punc.* 4. *dub.* 3. *Manuel to.* 1. *Sum. in* 2. *edit. c.* 6. *n.* 1. *conc.* 1. *Sayr. in clavi reg. l.* 1. *c.* 11. *n.* 4. *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. unica, sect.* 12. *n.* 115. *Petrus de Ledesf.* 2. *to. Sum. tract.* 8. *c.* 22. *post.* 11. *conc. diffic.* 1. *f.* 745. Quando autem judex cum scandalo nunc juxta unam opinionem, nunc juxta alteram judicaret, peccaret utiq; at restituere non teneretur. Quia nil contra jus partium agit.

46 At major difficultas est, quando alteram opinionem probabiliorem judicat. Quidam censent posse judicem sententiam ferre juxta opinionem, quam minùs probabilem putat. Quia nec temerè, nec imprudenter agit, utpotè qui ratione probabili ducitur. Sic tenent *Molina* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub. penult. ad ultimum*, *Aragon.* 2. 2. *q.* 63. *a.* 4. *d. penult.* & *ibi Salon. controvers.* 2. *conclus.* 4. *Pet. de Ledes.* dicens esse sententiam multorum nostræ ætatis, *d. c.* 22. *post.* 11. *concl. diffic.* 2. *f.* 746. *Sayr. eo c.* 11. *nu.* 8. *Salas ea sect.* 12. *num.* 118.

47 Quamvis autem hoc sit probabile, at probabilius judico, eum teneri sententiam ferre juxta opinionem probabiliorem. Quia hic agitur de jure suo cuiq; reddendo secundùm merita causæ, & cum ipse à repub. judex constitutus sit, hoc ipso judicio ipsius committitur, ut causam illam dirimat, prout ei melius, & magis consentaneum rationi videbitur. Item videtur acceptio personarum, cum non secundùm causæ merita dijudicet. Sicut acceptor personarum est, qui dignori postabito confert beneficium minùs digno. Et ita hanc sent. sustinent *Sotus*, *Val.*, *Bannez*, *Man. nu.* 45. *allegati*, *Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 54. *a.* 6. *f.* 472. *in fin. Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dif.* 64. *c.* 2. *n.* 5. Et id videtur supponere *Azor. to.* 1. *l.* 2. *inst. moral. c.* 17. *q. ultim.*, Quod benè temperat *Vasq. eo. c.* 2. *nu.* 6. nisi judex inferior esset, & opionio, quàm minùs probabilem judicat, esset magis praxi recepta, & crederet fore, ut minùs prudens à judice superiori, ad quem appellatur, notaretur, ejusq; sententia revocaretur, si lata esset juxta sententiam, quam probabiliorem existimat, tunc enim potest sententiam minùs probabilem sequi. Quòd cum tanta sui honoris jactura, & tam modico fructu munus suum obire minimè teneatur.

48 Quòd si quæras ordinem à judicibus in eligendis opinionibus, ac sententiis servandum. Optimè rem hanc explicat *Vasquez d. dis.* 64. *c.* 2. *n.* 6. & 7. dicens unico, verbo omnia comprehendi, nempe, ut sufficiens examen circa jus, factumque præmittant juxta allegata & probata. Si enim pars altera deficiat in probatione, aut quippiam necessarium allegare omittat: juxta ea sola, quæ allegavit, & probavit, sententia ferenda est, & non secundùm probabiliorem sententiam, quam allegatis allegandis secuturi essent judices: nec alteri parti alleganda, aut probanda aperire debent, aut aliquid pertinens ad jus, factive probationem. Hoc enim advocati munus est: judicis autem tantùm juxta allegata, & probata judicare.

49 Ultimò deducitur, quid dicendum sit de advocato? Et quidem sicut *nu.* 43. de judice diximus, & *nu.* 37. de medico, si varietas opinionum in eo sita sit, an liceat hoc, vel illud advocato agere, vel hanc, vel illam causam tueri, integrum est eli, opinionem minùs probabilem sequi. Ut benè notat. *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *disp.* 64. *c.* 1. *in init.*

50 Difficultas autem est, quando circa sui clientuli jus varietas opinionum est. *Valentia* 2. 2. *disp.* 5. *q.* 15. *puncto* 4. *q.* 1. censet attento solo naturæ jure posse advocatum, quando utraque pars æquè probabilis est, utramlibet pro libito defendendam suscipere: at jure humano attento probabile esse non posse in hoc casu pro actore patrocinari. Quia *regula eum sint* 11. *de regulis juris*, *in* 6. præcipitur reo favendum, cum jura partium obscura fuerint. Quod idem docet *Sylv. verbo Advocatus. quæst.* 13. dicens, in tali eventu debere advocatum non favere actori, sed desistere, aut causam rei suscipere: nisi quando causa est favorabilis, ut libertatis, vel matrimonii. Tunc enim potius actori favendum est.

51 At verius est, quoties æquè pendet dubitatio in utramque partem, quia res, vel in jure, vel in facto æquè dubia est, & ita æquali probabilitate fulta, integrum esse advocato utramlibet partem tueri. Quia jus utriusque æquale est. Et ita docent *Divus Antoninus* 3. *p. titulo sexto*, *c. secundo*, § 14. *Angelus, verbo Advocatus*, *n.* 17. & *ibi Sylvest. quæst. decima. Tabiena numero decimo tertio. Armilla numero vigesimo. Sotus libro quinto de just. quæst. octava, articulo tertio. Navar. Summa, capite* 25. *n.* 28. *Bannez* 2. 2. *qu.* 71. *artic.* 4. *in* 1. *p. dubio sexto. Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract. octavo, disp. unica, sectio, undecima, n.* 101. *Sayr. clavi regia, libro primo, capite undecimo, numero* 17. *Toledo libro quinto Summæ c.* 60. *n. secundo. Aragon. d. quæst.* 62. *ar. tertio, sol. antepenultima. Salon. eodem ar. tertio. controversia secunda. Manuel primo tomo Summæ, cap.* 2. *numero primo. Azor tomo primo, libro secundo instit. moral. cap.* 17. *quæst. ultima. Vasquez* 1. 2. *quæst.* 19. *ar. sexto, disp.* 64. *capite* 1. *numero tertio. Petrus de Ledesma* 2. *tomo Summæ, tract.* 8. *cap.* 26. *post. sextam conclusionem, diffic.* 1. *Leonardus in libro secundo de justitia, cap.* 31 *dubio nono, numero* 52. *Burgos de Paz in proemio legum Tauri, numero* 409. & *sequentibus. Gutierez quæst. canon. lib.* 1. *capite decimo tertio, numero* 24. Et dicit esse probabile *Valentia numero precedenti allegatus*. Et respondet ad *regulam Cum sint* vel eam loqui in judice, vel consuetudine abrogatam esse quoad hoc. Intellige autem hoc (ut benè docent *Sylv. ea quæst.* 13. *Navar. eodem numero* 28. *Vasquez eodem num.* 3. *Sayr. eodem cap.* 11. *in fine. Toledo eodem cap.* 60. *num.* 2. *Salas eadem sectione* 11. *numero* 103. *juncto numero* 104.) dummodo advocatus clienti veritatem juris suæ causæ aperiat: nec certius illi promittat sententiam, quam debeat. Et benè subdit *Sylv.* teneri advocatum asseverantem scienter causam omnino esse justam, damnum subiecutum restituere, si clienS cognito causæ dubio non esset litigaturus.

52 Major autem difficultas est, quando advocatus causam clientis minùs probabilem judicat. Quia in re *Sotus Burgos de Paz n.* 421. *Bannez*, *Salon*, *Toledo*, *Manuel, num. secundo & tertio*, *Aragon*, *Petrus de Ledesma difficultate* 2. & 3. *Mercado l.* 6. *de contract. c. octavo*, sic distinguunt. Aut agitur de causa sanguinis, aut honoris, aut de causa civili maximi momenti, ut de omnium bonorum possessione: & tunc peccat advocatus pro actore minùs probabilem causam habenti patrocinans. Quia in dubio melior est rei possidentis conditio: neque in dubio quispiam condemnandus est. Addunt *Bannez*, *Salon*, *Petrus de Ledesma* hoc advocati peccatum fore contra charitatem solam, & hoc tantùm, quando reus in ea lite succumbens, deventurus esset in gravem necessitatem. Aut agitur de causis civilibus minoris momenti, & tunc non est damnandus causidicus causam minùs probabilem tuens, dummodo clientem de ea minori probabilitate causæ admoneat, nec falsò leges alleget, aut interpretetur. At ei integrum est argumenta partis adversæ subticere.

53 At meritò hanc distinctionem impugnant *Vasquez*, *Salas n.* 103. & 104. *Sayr. n. ultimo*, *Azor.*, ubi eos *n. quinquagesimoprimo* allegavi, dicuntque liberum esse advocato in his omnibus casibus, pro utralibet parte patrocinari. Quod etiam dicit esse probabile *Valentia n.* 50. *relatus*. Quippe si ratio contraria innitens ei principio, *melior est in dubio conditio possidentis*, probaret intentum, concluderet utique idem in causis minoris momenti, quod est contra Doctores illius sententiæ. Nam in his quoque causis reus possidet. Secundò, quia advocati munus non est rem definire, reddendo uni quod petit, & auferendo alteri: id enim judicis est: sed illius tantùm est fundamenta juris, & facti, suo clienti faventia, proponere judici, ut ille his perpensis decernat, pro quo sententia ferenda sit. Tandem, quia cum cliens in hoc casu justè litigare possit, nec imprudenter agat, utpote qui ratione probabili ducitur: integrum quoque erit advocato, in ea causa minùs probabili patrocinari. Nec obstat potiorem esse possidentis conditionem, ac subinde causam. Quod vel id ad judicem spectet. Ut ait *Azor. ibidem*. Vel ut dicit *Vasquez eodem articulo sexto disputatione* 63. *in fine* intelligitur, quando res verè dubia est, ita ut neutrius partis sit assensus: secùs quando est opinionum diversitas. Nam illam charitatis obligationem à Doctoribus contrariis assertam video. Quippe dubius est litis eventus, & ita dubia necessitas: nec advocato is eventus futurus constare potest: & esto constaret, non tenetur ob id à tuendo sui clientis jure desistere: sicut nec cliens ipse tenetur lite cedere. Sed ubi pars adversa in eam extremam, aut gravem necessitatem inciderit, tenebitur uterque, si possit aliqua eleemosina ei subvenire, sicut aliis pauperibus, non tamen tanta bonorum quantitate, quanta est, de qua litigatur. Rectè tamen ait contraria sententia, teneri advocatum admonere suum clientem de illa minori suæ causæ probabilitate. Quod & *n.* 51. *in fine* diximus, declaravimusque, quando non admonens teneatur restituere.

54 Est tamen limitanda hæc sententia, nisi pars clientis sit parum probabilis, & in quam aut rarò, aut numquam judices inclinant. Tunc enim reus injustitiæ, ac subinde restitutioni obnoxius esset causidicus illam tuens. Quod benè docent *Salon. ea controversia* 2. *Salas eod. nu.* 104.

## CAPUT X.

Qualiter exponat se huic peccandi periculo, ac peccet, qui cum conscientia dubia, aut scrupulosa operatur, & an in hoc dubio sit necessariò pars tutior eligenda, & quæ dicatur pars tutior?

### SUMMARIUM.

*Quot quæstiones disputanda sint? num.* 1.
*Operari cum conscientia præctice dubia, quale peccatum sit? nu.* 2.
*Quotupliciter sit intellectius præctice dubius, & an ad id exigatur in suum actum reflexio, qua judicet rem esse dubiam? num.* 3.
*Quid si tenui consensu rem esse licitam credat? num.* 4.
*Quid faciendum urgenti casu ad determinandum, quando res est dubia? num.* 5.
*Operari cum conscientia dubia, pertinet ad eamdem peccati speciem, ac sint fatenda circumstantiæ, num.* 6.
*An liceat operari cum dubio speculativo, aut contra opinionem, ac scientiam speculativam, deponendo practicè? num.* 7.
*Quali diligentia ad ea deponenda opus sit? num.* 8.
*An possessio in materia justitiæ tribuat jus retinendæ rei, de qua dubitatur, an sit aliena, & si dubitans inclinet magis in eam partem, ut sit aliena, aut eam opinetur? num.* 9.

An

*An extra justitiæ materiam sit semper in dubio pars tutior sequenda, nec juvet possessio? Refertur quædam sententia, n. 10.*
*Explicatur sententia Auctoris; & tradunt idem judicandum semper in utroque foro, quando externum non innititur præsumptioni, num. 11.*
*An aliquando causa disparitas vincat in dubio hanc possessionem, æque dubitans, an sua obligationi satisfecerit, tenentur illa? num. 12.*
*An te possidere dicatur, pro quo est in foro externo præsumptio, & hæc præsumptione sit in utroque foro standum, dum veritas non constat? num. 13.*
*An in hoc quoque dubio excuset præceptum superioris possidentis volunta tem subditi, ac proinde sit illi in dubio parendum? Remissive, num. 14.*
*Solvuntur argumenta. Et explicatur c. Juvenis, de sponsalibus, num. 15.*
*Post num. 15. invenies alia summaria.*

1 QUadruplex quæstio disputanda est. Prima quale peccatum sit operari cum conscientia dubia, an sit necessario in eo dubio pars tutior amplectenda. Secunda, quæ dicatur pars tutior, etiam quando præcepta incompatibilia concurrunt. Tertia, quid in dubio legum, votorum, & censurarum, confessionis sacramentalis, & casus reservati, censendum sit. Ultima, qualiter cum conscientia scrupulosa operandum sit.

2 Quæstio prima. Quale peccatum sit, operari cum conscientia dubia: an sit necessario in eo dubio pars tutior amplectenda? Jam *capite præcedenti in numero secundo, & duplici sequenti* explicuimus, in quo distent scientia, fides, opinio, suspicio, dubium, ac scrupulus, & qualiter possint esse hæc speculativa, & practica, & quando hæc judicia possint esse practicè speculativis contraria; & qualiter conscientiæ practicæ sit potius ratio habenda, eaque sit nostrarum operationum regula. Quæ omnia sunt in hac disputatione ad illius intellectum præmittenda. His ergo præmissis, certum est apud omnes, exigi ad licitam operationem, ne intellectus sit practicè dubius; sed ut determinatè judicet, id hic, & nunc licere: quare dum hoc dubium rationabiliter non deponitur, est necessario amplectendum id, quod tutius est, sive dubium sit juris, sive facti (quid autem sit tunc tutius, dicemus à *numero* 16.) Quare qui practicè dubitans aliquid operatur, si dubitet, an sit veniale, peccabit venialiter; si verò an sit mortale, mortaliter. Quippe periculo illius peccati admittendi, de quo dubitat, se exponit. Hoc ab omnibus asseritur, & latè probavi *libro secundo de matrimonio, disp.* 41. *n.* 6.

3 Monuerim tamen tria. Primum est, dupliciter potest intellectus practicè dubitare, an aliquid liceat. Priùs quando rationibus utrimque repræsentatis est pendulus, nec judicat, an sit licitum, nec ne, nec ultra supra suum dubitandi actum reflectit. Posterius, quando supra hunc actum reflectit, affirmans expresso judicio hunc actum dubium esse, an hic, & nunc, liceat. Et quamvis quoad alia valde inter utrumque dubitandi modum distet: at quoad præsens attinet, nil distat utrovis modo practicè dubitet intellectus, sed in utroque casu conclusio posita est vera. Ita docet *Suarez quinto tomo in* 3. *part. disp.* 40. *sectione* 5. *numero secundo*, & clarius *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *articulo sexto*, *disp.* 65. *cap.* 1. *num.* 4. dicens, apertè decipi quosdam Neotericos putantes eam solùm esse veram, quando intellectus posteriori modo practicè dubitat. At idem in utroque casu dicendum esse, vel ex eo convincitur, quod prior judicii suspensio eidem omnino rei illius illicitæ perpetrandæ periculo subsit, ac posterior judicii reflexio. Id enim periculum consurgit ex eo, quòd absque determinato alterius partis assensu, ac integra bonitatis, vel malitiæ cognitione, indicantibus rationibus in ea actione periculum culpæ subesse voluntas eam amat. Quod in utroque dubitandi modo æquè reperitur.

4 Secundum est. Doctrina tradita est vera, non solùm quando intellectus verò dubitat, neutrius partis assensum habens, sed etiam quando tenui consensu rem licitam esse judicat: ratio est, quia quando assensus est ita tenuis, ob vehementes rationes ferè pares eam esse illicitam prudentes, vix potest ille percipi: sed erit sola quædam inclinatio, & propensio in alteram partem, quam solam esse suspicionem diximus *c. præcedenti, numero secundo*. Et ita voluntas absque determinato judicii assensu operabitur, & subindè culpæ admittendæ periculo exponetur. Et ideò hoc docent *Cordubæ in suo quæstionario, libro* 1. *quæst.* 5. *paulo post principium*. *Vasquez in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disputatione* 67. *cap.* 2. *numer.* 7. ubi addit, si quispiam rectè tenuem illum assensum perciperet, nil obstare, quominùs cum illo rectè operari posset. Quia jam cum determinato assensu operaretur. Et placet mihi.

5 Ultimum est, cum casus particularis urget, id est, quando intellectus ad alterutram partem determinari ex necessitate debet, sæpè contingit, ut quis ob ignorantiam, seu invisibilem advertentiæ defectum excusetur à peccato, etiamsi opinionem improbabilem amplectatur. Quippe excusat difficultas expendendarum subitò utriusque partis rationum. Quod & probavi *capite præcedenti, num.* 25. At dato expendendi otio major diligentia in opinionum delectu adhibenda est. Sic docet *Valentia* 1. 2. *disputatione* 2. *quæst.* 14. *puncto* 4. *q.* 4.

6 Ex his deducitur, quando cum dubio practico voluntas operatur, esse peccatum ejusdem speciei, ac peccatum, de quo dubitatur. Ut si quis dubitans, an opus sit sacrilegum, id perpetret non deposito dubio, erit sacrilegus. Quare eædem illius peccati, de quo dubitabitur, circumstantiæ sunt fatendæ. Quòd malitia hæc consurgat ex periculo illius peccati admittendi, cui dubitans exponitur. (Ut *numero secundo* diximus.) At exponens se peccandi periculo, peccat eadem peccati specie, ac omnes illius circumstantias fateri tenetur. Ut probavi *cap.* 8. *num.* 4.

7 Quando autem dubium, scientia, & opinio, sunt speculativa, aliquando licebit cum illo dubio, & contra eam scientiam, & opinionem operari, deponendo ea practicè, & aliquando non licebit, sed erit idem peccatum, ac si hæc essent practicè. Verbi gratia, sciens in communi se teneri præcepto jejunandi, vel voti, aut dubitans, an ad hæc obligetur, potest aliquando ea scientia, vel dubio speculativis depositis, transgredi jejunium, vel votum, non dubitando practicè, id est, hic, & nunc, id sibi licere, aliquando verò id non potest. Ratio est, quia ex scientia, vel dubio speculativis, quæ quispiam habet, tenetur simile judicium practicum concipere, nisi ratio aliqua specialis variare cogat, post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem. (Ut dixi *capite præcedenti, numero tertio*.) Quia quamdiu homo non facit, quod in se est, ut dubium deponat, quidquid periculi est in tali opere, sibi imputatur, & ignorantia ibi interveniens est culpabilis. Et ideò duo exiguntur ad licitè variandum id judicium speculativum. Prius est, ut sufficiens diligentia ad vincendum dubium adhibita sit. Posterius est, ut subsit rationabilis causa suadens variare practicè judicium speculativum, quod expelli nequit. Quamobrem dum debita diligentia non præmittitur, aut justa variandi judicii speculativi ratio deficit, peccabit hic operando: secùs utroque concurrenti.

8 Sufficiens autem diligentia est, non ea sola, quæ in se ad vincendum dubium est sufficiens: sed etiam quando hic, & nunc, occurrit moralis necessitas alicujus operis faciendi, de quo est speculativè dubium, an liceat, & tunc nequit omnis diligentia adhiberi, & adhibetur pro tunc possibilis. Ut diximus *num.* 4. *& cap. præcedenti, n.* 25.

9 Sed restat explicare, quæ sit causa justa variandi judicii speculativi. Qua in re dicendum est, quando conscientia est speculativè dubia, nec apposita debita diligentia, veritas sciri potest, possessionem in materia ad justitiam pertinenti tribuere jus ad operandum contra illam conscientiam dubiam, deponendo eam practicè. Ut si bona fide rem possidens incipiat dubitare, an sit sua, & consequenter, an tenearur eam restituere, potest sufficienti diligentia præmissa, nec tunc inventa veritate, retinere. Quod contra alios latè probavi *lib. secundo de matrim. disp.* 41. *à num.* 12. Et licèt ibi *num.* 19. diximus cum *Soto*, *Ledesma*, *Salon.*, *Petro de Ledesma*, *Bannez* hunc possidentem, si magis in eam partem inclinet, ut ea res sit aliena, teneri partem restituere pro ratione majoris illius propensionis. Quod etiam modò valde probabile censeo: & ultra ibi citatos tenent *Bannez* 2. 2. *qu.* 40. *art.* 1. *dub.* 5. *concl.* 4. *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. *col.* 5. *vers. Si autem res in neutrius*. At nunc probabilius judico nihil eum teneri restituere. Quod sustinent *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dis.* 66. *c.* 7. *n.* 42. *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. tunic. sect.* 23. *n.* 231. Quippe etsi pro non possidente rem illam fortiores rationes urgeant, ita ut possidens in eam partem inclinet; at si non sint adeò efficaces, ut illius partis absensum generent, sed rem adeò relinquant ancipitem, certa alterius possessio huic inæqualitati præponderat, & subinde possidentem omni prorsus restituendi obligatione liberas. Immò addit *Salas* hoc esse verum, non solùm quando rationes pro contraria parte absensum non generant; sed etiam quando eum generant, dummodo non convincant, nec absensus sit certus physicè, aut moraliter, sed merè opinativus: adhuc enim verè res est dubia, ac possessio omnibus rationibus, non convicentibus præponderat. Quippe rationes non convicentes, sed utramque partem reddentes probabilem, sunt æquales aut ferè. Sed hoc additum nec omninò approbo, nec omninò reprobo. Si enim rationes illæ non omninò convincentes, ita absensum opinativum dictantem esse rem illam alienam generent, ut nullus partis contrariæ assensus superstit, sed sola formido inclusa in opinione, jam non manet res dubia, cum intellectus verè absentiat alteri parti, nullum alterius absensum habens, & ideò rem illam tenetur restituere. Et in hoc sensu optimè dixit *Vasquez* exigi, ut rationes absensum non generent. Atque hoc inde constat, quia tunc rem illam retinens operaretur contra opinionem propriam, carens prorsus contraria probabilitate. Si autem ita absensum generent, ut adhuc reputet ille probabiliter rem esse suam, verum est eum nil teneri restituere. Quod ei integrum sit hanc opinionem probabilem relicta probabiliori sequi. Et in hoc posteriori casu bene dixit *Salas*.

10 Tota autem difficultas eò pertinet, an etiam in materia aliarum virtutum extra justitiam, sit in dubio melior possidentis conditio: atque ita quando debita diligentia apposita dubium speculativum vinci nequit, assequendo veritatem, sit integrum ratione possidentis deponere practicè id dubium, & contra illud operari, non amplectendo tutiorem partem: an potiùs sub præcepto sit, amplecti tunc partem tutiorem, nil prorsus conferenti libertatis possessione. Multi tradunt in hoc dubio esse necessario amplectendum, quod tutius est. Ducuntur ex *c. Ad audientiam, & c. Significasti*, 2. *versiculo. Quod si discerni, & c. penultimo, de homicidio*, ubi deducitur dubitantem dubio facti, nempe, an homicidium commiserit, censendum esse irregularem. Et redditur ratio *dicto cap. Ad audientiam*, his verbis. *Cum in dubiis similiter debeamus eligere tutiorem. Et dicto cap. Significasti, versiculo. Quod si discerni*, ibi: *In hoc dubio tamquam homicida debet haberi sacerdos, & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet. Cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare; pro eo, quod in altero nullum, in relicto verò magnum periculum timeatur.* Ubi ponderandum est, Pontificem nil novum statuere videri, sed supponere id principium morale, *in dubio est tutior pars eligenda*, atque illi innixum declarare dubium de homicidio à se commisso reputandum irregularem. At si in hoc dubio esset melior possidentis conditio, non esset irregularis, utpotè qui immunitatem ab irregularitate possidet. Secundo, ex *c. Illud, de clerico excommunicato ministrante, vers. Licet autem*, ubi Pontifex decidit conscium suæ excommunicationis ex sola fama, ac proinde non omninò certum, esse deponendum, si ante absolutionem celebrarit. Et redditur ratio his verbis. *Quia in dubiis via est tutior eligenda, & si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat potius se abstinere, quam sacramenta pertractare*. Ubi pondero Pontificem non denuò decernere dubium suæ excommunicationis teneri à celebratione abstinere: sed id deducere innixum veritati illius principii, *in dubiis tutior pars est eligenda*. Quippe si non declararet, sed de novo statueret, injusta esset depositionis pœna clerico inflicta, qui antea cum eo dubio celebraret. Quia contra nullam legem deliquerat. Nec potest dici, Pontificem locutum esse de consilio, dum decidit in dubio tutiorem partem eligendam. Quia ob consilii omissionem nequiret sacerdos ille adeò graviter punirì. Tertiò, ex *c. Juvenis, de sponsalibus*, ubi decernit Pontifex juvenem, qui puellam nondum septennem duxit, forsanque consummare tentavit, nec potuit, ac postea illius puellæ consobrinam duxit, debere ab hoc posteriori matrimonio tamquam irrito separari, ratione impedimenti publicæ honestatis: quod quidem impedimentum erat dubium, eò quòd dubium erat, an priora sponsalia valida essent, ex quibus id incurrendum erat. Et reddit Pontifex rationem, his verbis: *Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus*. Ubi pondero nullam fuisse possessionem pro sponsalium valore, & impedimento illo ex illis consurgenti, immò præsumptionem contra illa. Quia cum sponsalia ante septennium inita non valeant defectu usus rationis, nisi malitia suppleat ætatem, & supplere non præsumatur, cum sit quid facti: (ut hæc omnia probavi *libro primo de matrimonio, tota disputatione decima sexta*,) & quando sponsalia sunt irrita defectu consensus, ut in hoc casu, consensus enim ante rationis usum esse nequit, numquam induxere impedimentum publicæ honestatis ad dirimendum subsequens matrimonium: ut constat ex *c. unico, de sponsalibus in* 6. ac proinde nulla fuit præsumptio, ac possessio pro sponsalibus, ac impedimento: sed tota fuit pro subsequenti matrimonio, de quo constabat. Atque exceptio contra hoc matrimonium dubia erit, nempe, valor priorum sponsalium. Et sicut dubia actoris probatio non relevat probantem, *c. In præsentia, de probat. c. Inter dilectos, de fide instrument.* ita nec dubia exceptio relevat excipientem. Faciunt *l. Titia textores, ff. de legat.* 1. & notata per *Baldum in l. Non solùm*, §. *Sed ut probari, ff. de operis novi nunciat.* Item tantus est matrimonii favor, ut pro eo sit in dubio judicandum, *c. Licet ex quadam, de testibus, & attestat.* Atque his non obstantibus adeò verum censuit Pontifex, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, ut censuerit non obstantibus possessione, & præsumptione pro matrimonio, ut judicandum sit contra illud, ob dubium ejus valorem, ut in dubio via tutior eligatur. Nec potuit Pontifex circa matrimonii illius contracti dissolutionem aliquid de novo decernere, sed solùm declarare. Ergo in dubiis est tutior via eligenda. Et confirmatur, quia necessariò dicendum est, supponere Pontificem illud principium tamquam jure naturali certum, & obligans: si enim illud esset dubium, aut sub consilio, perperam illi innixus decideret posterius matrimonium dissolvendum. Quartò ex *Divo Augustino, homilia quadragesima prima, & refertur c. Si quis autem, in fine, de pœnitent. distinct. septima*. ibi: *Tene certum, dimitte incertum*. Pars ergo tutior sequenda est, tamquam certa, ac relinquenda tamquam incerta pars minùs tuta. Quintò, quia inter duo mala, quorum alterum est necessario eligendum, præferri debet minus. (Ut *numero decimo sexto dicemus*.) Ergo à fortiori cum dubium est, an aliquid sit illicitum, eligendum est id, quod est tutius, & in quo nil periculi subest. Sextò, quia alias numquam esset sequendæ partis tutioris in dubio præceptum: cujus contrarium *numero secundo* diximus: nec in dubio præceptum aliquod obligaret. Cum semper pro libertate possidenti judicandum esset. Septimò, quia possessio est solius justitiæ titulus. Non ergo extra justitiæ materiam aliquid confert. Octavò, quia dubitans de facto aliquo, quo posito oriretur necessario obligatio juris naturalis, aut positivi, debet necessario dubitare, an factum id sit peccatum. At stante hoc dubio nequit quis rectè operari, nisi partem tutiorem sequendo: ergo tenetur. Quod si in dubio facti est necessario sequenda tutior pars, gratia periculi animæ vitandi, idem dicendum erit in dubio juris. Quippe idemmet periculum in utroque dubio versatur. Tandem, quia oppositum sentientes fatentur, non semper in dubio fas esse partem minùs tutam sequi: nec tradunt regulam dictantem quando liceat, & quando non. Et ideò hanc sententiam sequuntur tradentes generaliter hanc regulam *in dubio tutior pars est eligenda*, *Glossa suis abs. c. unico, de scrutinio, & c. Significasti, el secundo, vero. In dubio, de homicidio, & c. Juvenis, verbo Dubia, de sponsal. Innocent. c. Cum tu, in fine, de testibus, & attestat. & ibi Joann. Andr. in fine, Hostiens. num. secundo, Cardin. num. unico, oppositione prima in fine, Henricus numero secundo, Bellamera num. secundo*. (quod autem dicunt quidam ex his Auctoribus, hoc procedere in solo foro conscientiæ, non autem in externo, tractabimus *numero trigesimo nono*, juncto *numero quadragesimo secundo*.) Idem *Hostiens. c. Ad audientiam, numero tertio, & quarto de homicid. & dicto c. Significasti, numero decimo quinto, & dicto c. Juvenis, numero primo, verbo, Dubia, & verbo Certius, & cap. Illud, numero quinto, de clerico excommun. minist. Anton. dicto cap. Juvenis, numero quarto. Abbas dict. cap. Ad audientiam, numero secundo, & dicto cap. Juvenis, numero primo. Anchar. dicto cap. Ad audientiam, numero secundo, notabili* 3. *& consil.* 175. *præmittendum est, quòd cura, numero quarto. Cardin. dict. cap. Juvenis, numero primo, notabili* 1. *& ibi Præpositus numero quarto. Marianus Socinus Senior, dicto c. Ad audientiam, numero decimonono, & vigesimo, & dicto c. Juvenis, numero quarto. Rosella in summa, verbo Dubia, numero unico. Angelus, verbo Dubium, numero primo, & secundo. Sylvest. verbo Abortus in fine, & verbo Absolutio* 3. *numer. decimoquarto, dubio* 10. *& verbo Dubium, quæst.* 2. *numero quarto, & quæst. quarta numero septimo. Armilla, verbo Dubitatio, numer. secundo, & tertio Tabiena verbo Dubium, numero* 3. *quæst. secunda. Covarr. c. Alma mater* 1. *p.* § 2. *numero quinto casu* 1. *de sentent. excom. in* 6. *&* 4. *Decret.* 1. *p. capit. quarto* §. 1. *numero nono. Mayolus de irregular. libro* 5, *capit.* 51. *n.* 10. *limitatione* 2. *Manuel.* 2. *tomo Summa, c.* 51. *n.* 6. *conclusione* 4. *Hugolinus de censuris, tabula* 1. *cap.* 14. *in principio, num.* 14. *Flores de Mena in suis quæst. variis l.* 1. *quæst.* 9. *n.* 18. *Sayr. de censuris, lib. primo, c.* 16. *number.* 30. *casu* 1. *& libro sexto, c.* 2. *n.* 16. *& in clavi regia, libro primo, c.* 13. *n.* 9. *&* 36. *Azor. tomo* 1. *instit. moral. libro* 2. *c.* 18. *quæst.* 4. *& c.* 19. *quæst.* 10. *& lib.* 11. *ca.* 15. *quæst.* 2. *Antonius Perez certamine* 10. *Scholastico, dubio* 2. *nu.* 132. *&* 135. *Vasquez.* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 65. *toto capite* 3. *& disp.* 66. *toto capite* 1. ubi expressè defendit non tantùm in dubio facti, nempè, quando dubitatur, an res aliqua sit in se licita, aut illicita, sed etiam in dubio juris, ut quando dubitatur, an lex sit statuta, necne, esse semper tutiorem partem sequendam. *Salas* 1. 2. *quæst.* 21. *tractatu* 8. *disp. unica, sectione.* 17. *numero* 152. dicens etiam in dubio juris, loquendo per se, & regulariter, tutiorem partem esse necessario eligendam. Et limitat *n.* 154. nisi per accidens gratia vitandi magni incommodi, tunc enim ait licere partem minùs tutam eligi. Pro eadem sententia facit doctrina *Ancharani consilio* 179. *prima facie, nu.* 6. *& Felini, c. In præsentia n.* 13. *notabili* 2. *de probat.* ubi docent interpretandum testamentum in partem rigidiorem, & deteriorem, si id tutius, ac salubrius animæ testatoris sit. Pro eadem sunt *D. Thom.* 4. *d.* 38. *q.* 1. *artic.* 3. *quæstiuncula* 1. *ad* 3. *& ibi Cartheusianus q.* 2. *versic. Insuper. Turrecr.* 17. *quæst.* 1. *in Summa, ar.* 4. *ad* 4. *num.* 11. *Angelus, verbo Votum* 3. *num.* 12. *Sylv. verb. Religio* 2. *quæst.* 16. *Armilla, verbo Votum, numer.* 18. *Tabiena verbo Votum* 3. *q.* 2. *num.* 1. ubi dicunt voventem religionem, dubium tamen an religionem determinatam voverit, an generaliter, tenetur in hoc dubio eligere, quod tutius est. Et *Navar. l.* 3. *consil. titulo de voto, in priori editione, consilio* 18. *nu.* 2. *in posteriori, consilio* 26. *nu.* 2. *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium, l.* 11. *c.* 15. *qu.* 9. *in fine. Manuel.* 2. *tom. Summa, c.* 95. *nu.* 6. ubi dicunt dubitantem, an quid majus, an minus voverit, teneri ad majus, eò quòd id tutius sit. Et idem *Navarr. eodem titulo de voto, in* 1. *editione, consilio* 4. *in fine, in* 2. *consil.* 13. *in fine*, ubi docet dubitantem, an voverit castitatem, dependenter à Religione, necnè, teneri ad castitatem, etsi ad religionem non admittatur, eò quòd id tutius sit. Et *eodem titulo in* 1. *editione, consilio* 18. *nu.* 2. *in* 2. *consil.* 26. *n.* 2. *Manuel.* 2. *tomo Summa, c.* 95. *n.* 6. *Sayr. in clavi regia, l.* 6. *c.* 9. *n.* 20. ubi tradunt dubium, an solam religionem, an etiam perseverantiam voverit, teneri ad perseverantiam, quod est tutius. Ejusdem sententiæ sunt Doctores, *numero* 36. referendi, qui docent in dubio, an quis votum emiserit, eum voto obligari, quod id sit tutius. Et tandem ob argumenta proposita, & maximè propter primum, sextum, & septimum, docent *Vasquez ea disputatione* 65. *capite tertio, numero decimotertio. Antonius Perez ea certamine, decimo, numero* 132. *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium, libro secundo, cap.* 19. *q.* 10. *& lib.* 11. *c.* 15. *quæst.* 2. *Sayr. in clavi regia, libro primo, capite decimo tertio, num.* 36. in sola justitiæ materia veram esse eam regulam, *in dubio melior est conditio possidentis*. Quæ regula deducitur ex *reg. In pari* 63. *de regulis juris in* 6. Quod idem sequitur cum quadam limitatione, nempè, quando quis non potest absque detrimento proprio amplecti partem tutiorem, contra libertatis possessionem, *Salas eadem disput. unica sect.* 17. *num.* 162. *& sect.* 25. *num.* 252. ubi addit in materia justitiæ esse semper veram eam regulam.

11 Quamvis autem hæc opinio sit satis probabilis; existimo probabilius esse, nullum sequendæ partis tutioris præceptum esse, sed sicut in materia justitiæ satis est in hoc dubio speculativo, quod præmissa debita diligentia vinci nequit, sequi partem, cui favet possessio, etsi minùs tuta sit, ita etiam id sufficere in quavis alia materia: atq; ideo eam regulam, *in dubio potior est conditio possidentis*, procedere cùm in mate-

materia justitiæ, ac omnium aliarum virtutum. Quare sicut in materia justitiæ, est in hoc dubio speculativo præceptum sequendæ partis tutioris, quando nulla est possessio pro parte minus tuta, quæ justam dependit dubii speculativi ansam prebet, ac non dubitandi practicè: an existente possessione pro parte minus tuta, est licitum eam sequi, adesseque causa justa non dubitandi practicè: ita etiam contingit in cujuscumque virtutis materiæ. Quod si quæras, unde dignoscatur pro quo sit possessio, trademus regulam *numero decimo tertio*. Dicot primo, quia ideo in materia justitiæ potior conditio possidentis, ut ea possessione adiutus possit sequi partem minus tutam, præmissa debita diligentia, quod ex ea parte jus dubium sit æquale inter ipsum, & non possentem, ex altera vero jus suæ possessionis est certum, ac proinde tamquam potiori jure fretus vincit alterum. Quæ ratio æquè militat in cujuscumque virtutis materia. Nam ex altera parte est æquale obligationis jus dubium, ex parte voluntatis, & ex parte illius virtutis: ex altera autem est jus certum possessionis libertatis pro voluntate, dum non probatur ejus libertatis privatio obligatione aliqua contracta. Ergo idem dicendum est in cujuscumque virtutis materia. Secundò, quia possessio est titulus universalis omnibus virtutibus, eo modo, quo aliqua pars potentialis justitiæ, ut obedientia Dei transcendit omnes virtutes. Et confirmatur, quia in communi loquendi modo voluntas dicitur possidere verè suam libertatem, & volenti obligationem imponere privantem libertate, incumbit ejus probandæ onus. Quod ex se patet. Tertiò, quia idem in utroque foro judicandum est, quando externum non innititur falsæ præsumptioni, nec in pœnam judicis sententia agentem damnat. Ut tradunt optimè *Baldus autben. Ingressi, in mere 49. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Sotus libro quarto de justitia, quæstion. quinta, articulo tertio, versiculo Quarto arguitur. Navar. c. Si quis autem, num. 36. de pœnitent. dist. septima. Covarruvias c. Cum esset, numero septimo de testamen. Martinus de Ledesma secunda part. 4. quæstion. 18. articulo primo, dubio duodecimo, folio 227. columna secunda, in initio. Vasquez 1. 2. quæstione 19. artic. sexto, disputatione 66. capite primo, numero tertio, & quæstion. 96. articulo quarto, disputatione 164. num. 37. Suarez quinto tomo in tertia part. disputatione 40. sectione quinta, num. 16. Sayr. in clavi regia, libro primo, capite decimo tertio, numero vigesimo quarto. Salas 1. 2. quæstion. vigesima prima, tractatu octavo, disputatione unica, sectione 18. num. 166. & sectio. decima nona, num. 171. & sectione 23. num. 226.* Sed in foro externo cognita veritate, quod dubia sit obligatio, nemo adstringetur, sed pro libertatis possessione judicabitur. Quia favorabilior est causa rei, quàm actoris, & actore non probante plenè, est reus absolvendus. (Ut *nu.* 48. probabo.) Ergo idem in foro interno judicandum est. Tandem, quia rationes, quibus nititur contraria sententia, illam non probant. Ut constabit ex earum solutione, quam *numero* 15. trademus. Et quando dubium est juris, constat ex ratione, quam *numero* 32. afferemus, esse potiorem conditionem possidentis, ne in dubio obligetur jure illo. Et ideo hujus sententiæ sunt Doctores, quos *numero* 36. afferemus, qui ajunt dubium, an voveritⁿ, non teneri voto, & sequi partem tutiorem: eò quod in eo dubio potior sit conditio voluntatis possidentis suam libertatem. Et quos referemus *libro quarto hujus tractatus, capite primo numero duodecimo* dicentes dubitantem, an usum rationis tempore voti haberet, non teneri voto, eò quòd melior sit possidentis conditio. Cum tamen votum non pertineat ad justitiam, sed ad religionem. Et *Navarr. libro tertio de restitutione capite quarto, dubio quarto in nova editione num.* 48. ubi ait in dubio meliorem esse possidentis conditionem, maximè in materia justitiæ, quare idem sentire videtur in aliarum virtutum materia. Et *Divus Antoninus prima part. titulo* 3. *capite decimo*, § 10. *post sextam regulam, verbo Notandum est, & Sylvest. verbo Jejunium, quæst. decima, num.* 27. *dicto secundo in fine. Navarrus c. Si quis autem, num.* 34. *de pœnitent. dist. septima, & in Summa capite* 27. *Hispane num.* 278. *Latine, numero* 281. *Angles Flavius 1. part. tractatu de jejunio, quæstionem, artic. primo, dubio secundo, conclusione tertia. Enriquez libro* 14. *de irregular. capite tertio, num. quarto in fine, & in commento, litera* F. ubi dicunt solum consilium esse eligendum partis tutioris. Et latiùs id docet *Suarez tomo quinto, in tertia part. disputat.* 40. *sectione quinta, à num.* 14. *usque ad* 18. *& sectione sexta numero octavo* dicens incredibile sibi esse, ut in dubio juris, & in omni dubio facti, sit semper necessarium amplecti partem tutiorem. Et *ea sectione quinta, numero decimo quinto* ait esse falsum, & sine fundamento, possessionem in sola justitiæ materia suffragari.

12 Id tamen observandum est, aliquando casum esse adeò disparem, ut ea disparitas justam alterius possessionem vincat. Ut si certus sum de mutuo, aut alio debito à me contracto, sive ex delicto, sive aliunde id contraxerim, dubius autem an solverim, teneor integrè solvere non obstante mea pecuniarum, atque illarum dominii possessione. Quod optimè docet *Vasquez prima secunda quæst. decimanona art. sexto disp.* 66. *cap.* 7. *num.* 43. nec credo quempiam dubitaturum de hoc. Quare non semper in dubio est melior possidentis conditio, sed quando est in reliquis par utriusque causa. Et ita *regula, In pari, de regulis juris, in sexto* cui axioma illud innititur, non dicit in dubio, sed in pari causa potiorem esse possidentis conditionem. Et ratio est, quia cum justitia æqualitatem petat, nec debito certo sit æqualis solutio dubia, hæc inæqualitas alterius possessioni prevalet. Quod etiam in aliis præceptis est generale. Nemo enim affirmabit certum de voto à se emisso, aut de alio præcepto, dubium tamen, an illi satisfecerit, non teneri ad id. Et sic *Navarr. c. Si quis autem, nu. septuagesimo sexto de pœnit. distinct. septima, versiculo decimo septimo, Metina C. de oratione, quæst. de horis iterandis, Ledesma 2. part. 4. quæst. 16. articulo 6. in 2. part. dubio tertio*, ajunt dubitantem, an aliquam unius horæ canonicæ sibi præceptæ partem omiserit, teneri illam supplere. Quare non est undequaque plena hujus obligationis ratio æqualitas, quam lex justitiæ exigit. Sed, quia cum executio obligationis sit quid facti, non præsumitur, sed ei qui obligatus est, incumbit illam probare: quare dum eam non probarit, sed dubius fuerit, stat præsumptio, & possessio pro obligatione certa. Atque ita dubium, an præceptum, & votum implerit, teneri eis, docet optimè *Rebellus de just. par. 2. lib. 1. q. 3. sect. 2. n.* 13.

13 Quòd si petas regulam, ex qua dignosci valeat quis possideat, ut inde sciri possit, cujus sit potior conditio ad obligationem inducendam, cave liberandum, hæc tradi potest. Attendendum est in hoc dubio, pro quo stet in foro externo præsumptio, & dum non constat de veritate, ea pars, pro qua est præsumptio, censebitur possidere, & prævalebit in utroque foro. Quare si præsumptio fori externi stet pro obligatione, tenebitur voluntas: si autem stet pro voluntatis libertate, non tenebitur. Hanc regulam apertè tradit *Sotus libro septimo de justit. quæst.* 3. *artic.* 2. *colum.* 3. *versic. Hic verò*, quem sequitur *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 9. *paulo post principium, not. ab.* 2. ubi uterque agens de dubio, an puer habeat sufficientem rationis usum, ut validè voveat, & dicens aliquando cum deesse majori septennio, aliquando verò adesse minori; communiter autem advenire septennio, idque ejus præsumere addit hæc: *Illi ergo annorum limites designantur secundùm præsumptionem juris: atque adeo quando res est dubia, excitus sumendum est judicium*. Et probatur primò, quia jura nihil absque causa justa præsumunt, ne præsumptio iniqua, ac temeraria sit, (Ut probavi *libro quinto de matrimonio disputatione tertia, numero primo.*) At si in eo dubio obligatio, pro qua stat præsumptio, non præponderaret, temerariè, & absque justa causa præsumeretur. Secundò, quia (ut cum *Baldo, Alciato, & aliis*, tradunt *Simancas de institutione Cathol. tit.* 50. *nu. sexto, & Menochius de præsumptione libro primo, quæst. quarta, n.* 5. 4. & 5. *& quæst.* 8. *nu. primo.*) præsumptio juris est verisimilitudo quædam sufficiens ad rem dubiam credendam: vel est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec adversarius oppositum probet, in quem id probandi onus transfertur. Ergo dum stat hæc juris præsumptio in eo dubio pro obligatione, nec dubitans potest contrarium assensum habere, & sic se exonerare, erit sustinenda obligatio tamquam vera. Dices hæc probare in foro externo. At hæc evasio potiùs meæ sententiæ favet: nam si in foro externo cognita hujus dubii veritate, & eo dubio permanente, censebitur hic obligatus: idem quoque in foro interno est necessario dicendum. Quippe judicia hæc diversa non esse, nisi quando externum præsumptione ducitur, & internum contrariam veritatem novit, probavi *numer.* 11. At in hoc casu res est in utroque foro eodem modo dubia, & confirmatur, quia *Castro lib.* 1. *de legepœnali, cap.* 5. *documento* 2. *paulo post principium, & Emanuel Sa in Summa verbo Lex numero* 1. ajunt in foro conscientiæ ison stari præsumptione, sed veritate, quando veritas cognosci potest: ubi clarè sentiunt secùs esse, quando in utroque foro veritas est dubia. Atque hac ratione, quando adjecta matrimonio conditione impossibili, dubitatur de legitimo adjicientis consensu, standum esse in utroque foro præsumptione fori externi, probavi *libro 5. de matrimonio disp.* 3. *numero* 25. Et quando olim sponsalia in matrimonium transibant copula animo conjugali, juxta *c. Is qui fidem de sponsal.* si dubius erat sponsus, an animo conjugali, potiùs fornicario accesserit, probavi *lib.* 1. *de matrim. disp.* 18. *numero* 6. standum esse in utroque foro præsumptione fori externi animum conjugalem præsumentis: & ita verum esse matrimonium. Item nemo dubitabit filium habitum ex conjugata habitanti cum viro, quantumvis adultera, & alterius concubina sit, censeri in dubio habitum ex viro, ac proinde legitimum in utroque foro illius hæredem: eò quod jus in eo eventu ita præsumit. Nemo etiam dubitabit in omnibus eventibus, in quibus dubia est restatoris voluntas, servandam esse in utroque foro præsumptionem fori externi: atque ita dum in eo valor legati præsumitur, nec id compensari cum alio debito restatoris erga legatarium, posse tuta conscientia legatarium capere id legatum, ac suum debitum recuperare: aliàs nec judico pro eo sententiam ferrent, (ut ferre tenetur) esse tutus. Atque ita *Menochius de præsumption. libro 4. præsum.* 83. *num.* 62. *& Molina tom.* 1. *de justit. disput.* 169. *colum.* 3. *paulo ante versic. Quando libertas*, tradunt quando non constat de veritate, dum esse præsumptione juris in foro conscientiæ. Tertiò quia etsi possessio sit tanti momenti, ut ea spoliatus sit ante omnia restituendus, *toto titulo de restitutione spoliatorum*: at juris præsumptio præponderat illi: ob quam rationem possessor nobilitatis spoliatur possessione, & tributum ignobilium solvere cogitur, statim, ac ei movetur lis circa nobilitatem, donec illam probet. Quod possessioni illi præponderet juris præsumptio pro Rege existens. Ut latè *Joannes Garzia de Nobilitate glos.* 10. *à num.* 11. 4. Quia si bene res perpendatur, non est adæquata ratio decisionis, *c. Dominus, de secundis nuptiis*, nempè, ut



pè, ut in dubio valoris matrimonii teneatur conjux dubius reddere: quod etsi dominium corporis sit dubium, ob dubium matrimonii valorem; at possessio corporis est penes alterum conjugem, & sic in dubio melior sit ejus conditio, tamquam possidentis. Hæc enim ratio id optimè probat in matrimonio consummato copula, per quam illius possessionem apprehendi probavi *lib.* 7. *de matrimonio disp.* 112. *num.* 6. 7. *&* 8. At quando matrimonium est tantùm ratum, in quo eventu teneri quoque conjugem dubium reddere diximus *lib.* 2. *de matrimonio disp.* 41. *num.* 48. transacto priori bimestri, & docent *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 19. *artic.* 6. *disp.* 66. *cap.* 8. *num.* 3. *Azorius tom.* 1. *institutionum moralium lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 2., non militat ea ratio possessionis: conjux enim dubius tunc possidet, & dubium est, cujus sit dominium: & ideo si in hoc dubio esset pro possessiore judicandum, dicendum esset utique eum non teneri reddere. Ratio ergo hujus obligationis reddendi ea est, quia eam conjugis dubii possessionem vincit præsumptio juris stans pro actus valore, atque ita matrimonii initi, dum contrarium non probatur; & ideò in eo dubio potior est alterius conjugis conditio, qui bona fide contraxit. In dubio ergo standum est in utroque foro præsumptione juris, eaq; alterius possessionem vincet. 5. Quia hac ratione *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 8. *n.* 10. *& disp.* 9. *n.* 13. alios allegans probavi obligationem voti, & sponsalium, quamvis sponsus, vel vovens dubitet, an requisitam deliberationem, & animum se obligandi habuerit, quòd in hoc dubio jus deliberationem, & animum illum presumat. Et *eodem lib.* 1. *disp.* 16. *n.* 10. *&* 11. probavi sponsalia septennio completo inita valere, nisi consilet tunc defectus usus rationis: & ante septennium esse irrita, nisi constet doli contrahentium capacitas. Quia cum ante septennium non præsumatur usus rationis, post illud autem sic, stat juris præsumptio contra sponsalia ante septennium inita, & pro illis post eam ætatem contradis. Tandem quia si attentè res consideretur, quando juris præsumptio stat pro actus valore, ille potiùs dicitur possidere, quam nativa voluntatis libertas. Quamvis enim si de dominio loquamur, voluntas in omnibus contractibus dominium non transferentibus, ut in voto sponsalibus, & aliis promissionibus, possidet suum dominium: at si loquamur de libera contrarium operandi facultate, quæ potiùs in obligationibus spectari debet, quoties est juris præsumptio pro actus valore, ut in exemplis adhibitis duplici ratione præcedenti, possessio non stat pro voluntatis libertate, sed pro obligatione, utpotè quæ in eo dubio majores vires obtinet, & jus eam præsumit.

14 Utrum autem possessio, quam superior habet voluntatis subditi, sufficiens sit, ut subditus possit tuta conscientia deponere dubium speculativum, & in eo dubio teneatur obedire: dicemus latè *lib.* 6. tractantes *de voto obedientiæ*.

15 Ad argumenta contraria proposita *n.* 10. respondetur. Ad 1. dic id principium, *in dubiis tutior pars est eligenda*, supponi in iis textibus, non tamquam ex præcepto semper observandum, (ut egregiè admodùm tradit *Suarez 5. to. in 3. p. disp.* 40. *sectione* 6. *num.* 9.) Sed satis est, ut Pontifex illud reputarit rationi, & regulis prudentiæ magis consentaneum, ut juxta illud in eo peculiari casu irregularitatis legem statuerit, quod satis est ad legem justam sanciendam: non tamen ad obligationem inducendam extra casus expressos. Et clariùs constabit hæc solutio ex dicendis *num.* 48., ubi ostendemus nec decisionem eorum textuum habere locum extra irregularitatem homicidii. Ad 2. dic illum Episcopum non præmissa diligentia ad assequendam veritatem illius excommunicationis celebrasse: & ideo tamquam temerarius, & qui tunc tenebatur abstinere, & sequi partem tutiorem, jure optimo punitus est. Nos autem loquimur, quando apposita diligentia nequit veritas cognosci. Præterea non defunt, qui dicunt, (ut referemus, *numero* 65. *in solutione ad* 2.) excommunicationem in hoc casu probari sufficienter sola fama: & ita excommunicatio erat ferè certa, appellatur autem dubia, eò quòd non omnino certa erat. Ad 3. dic eum textum etiam probare contra adversarios. Quia contra possessionem posterioris conjugii, quæ ex justitia est, & contra favorem, quo in dubio matrimonium ponitur, Pontifex judicat: & ideo difficillima est ejus textus enodatio. Aliqui respondent ob animæ periculum judicari in hoc dubio contra posterius matrimonium: & eo cessanti judicandum potiùs in illius favorem, juxta *c. Licet ex quadam, de testibus, & attest.* Sic *Host. eo c. Juvenis in fine, & ibi Joan. Andr. n.* 2. At hanc solutionem meritò impugnant *Anchar. ibi, num.* 6. *opposition.* 2. *& Marianus Socin. senior. ibi n.* 8. Quia etiam in dissolutione posterioris matrimonii, quod sortè valebat, potuit animæ periculum contingere. Et concludit *Anchar.* expositionem eius textus cogitandam esse. At *Marianus Socin. num.* 8. tradit aliam, nempè, id secundùm matrimonium non fuisse consummatum, & ideo Pontificem dispensasse, ut disolveretur: & concludit cogitandum. Sed nec hæc solutio placet. Tum quia non constat id non esse consummatum. Tum etiam, quod nullo dispensationis verbo utatur Pontifex, immo innitatur ei principio: *id quod est certius, est sequendum*. Ideo legitima solutio est, quamvis conatus ad copulam fuerit dubius, at valor priorum sponsalium fuit certus malitia supplenti ætatem, & impedimentum diriment. ex illis consurgens erat certum, ut tradit *Prapos. eo. cap. Juvenis, in fine*. Tales enim conjecturæ concurrerunt, ut plenè probarint. Quare non dixit Pontifex in dubiis tutius esse sequendum: nam tutiùs erat stare pro matrimonii valore: ut habetur, *d. cap. Licet ex quadam, in fine*: sed dicit certius esse amplectendum. Appellat autem dubia priora sponsalia, eò quòd tamquam ex conjecturis probata, non erant undequaque certa: sufficientem tamen ad ea valida judicanda certitudinem habuere: & sic posterius matrimonium cum illius prioris sponsæ consobrina fuit judicatum nullum. Ad 4. dic, id esse consilium: ut *numer.* 11. probavi. Ad 5. negatur consequentia, quando adest aliqua causa justa eligendæ partis minùs tutæ, qualis est possessio. Sicut hæc etiam sufficit in materia justitiæ. A 6. negatur numquam verificari, quia sive quis possideat, sive non tenetur dum practicè dubius manet, sequi quod tutius est. Item quando non est possessio, quæ justam causam præbeat operandi contra dubium speculativum, tenetur etiam tutius amplecti. Negatur etiam, præceptum in dubio numquam obligaturum. Quia (ut constabit ex dicendis *numero* 33. & 34.) aliquando in eo dubio est possessio pro præcepto, & tunc obligabit. Ad 7. negatur antecedens. Ut constat ex dictis *numero* 11. Ad 8. negatur debere necessariò dubitare practicè, id est, hic, & nunc, id esse peccatum, Quia ex generali illo dubio speculativo non oritur necessario dubium practicum, nisi aliquando nulla adhibita est diligentiam ad expellendum dubium generale, nec subest aliqua causa non dubitandi practicè. Ad ultimum constat ex dictis *numero* 11. *in initio*, ubi regulam tradidimus, quando sit præceptum, & quando consilium, sequi id, quod est tutius.

## SUMMARIUM.

*Quæ sit pars tutior, & quid faciendum, ubi concurrant præcepta incompatibilia? n.* 16.

*Explicatur, quod præceptum plus obligat, n.* 17. *&* 18.

*Quid, si de majori neutrius obligatione constet? n.* 19.

*Quid si alterius præcepti obligatio sit certior? n.* 20.

*Quid, si modicus inter ea præcepta sit excessus? n.* 21.

*An cessanti eligendi necessitate, quando voluntas determinatur ad eligendum unum ex duobus malis, teneatur eligere minus?*

*Proponuntur probantia partem negantem, n.* 22.

*Quando voluntati proponuntur duo mala, potest se tripliciter in electionem habere, n.* 23.

*Quale sit peccatum, quando voluntas non fertur in præelectionem, sed in ipsum objectum malum? n.* 24.

*Quid, quando in solam præelectionem majoris, aut minoris mali? num.* 25.

*An illa majoris mali præelectio sit mortalis, quando minus est veniale? n.* 26.

*Quid si utrumque sit mortale? n.* 27.

*Quid si electio, & comparatio non cadant in ipsas culpas, sed in infamiam ex illis consurgentem? n.* 28.

*Quale peccatum sit quando voluntas fertur in præelectionem, & in ipsum objectum malum? n.* 29.

*Quid discrimbuis sit inter electionem minoris mali, quando alterum voluntas eligere cogitur, & quando non cogitur? n.* 30.

*Solvuntur argumenta, n.* 31.

*Post n.* 31. *invenies alia summaria.*

16 Quæstio II. Quæ pars dicatur tutior? Hoc aliquibus regulis declarandum est. Prima regula sit. Pars illa dicitur tutior, in qua aut nullum peccatum esse potest, aut propter vitandum majus malum, eligitur minus, quando enim duo præcepta incompatibilia concurrunt, est violandum quod minùs obligat, & sic minus malum eligendum. (Si malum dici potest.) Quippe in hoc eventu, non est malum, sed bonum, id præceptum transgredi. Quod aliis relatis probavi *lib.* 2. *de matrimonio disputat.* 41. *num.* 45. Atque ita docent *Metina* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *q.* 4. *concl.* 4. *& ibi Vasquez disp.* 66. *c.* 1. *in init. & c.* 4. *num.* 21. *Azor. tom.* 1. *institut. moral. lib.* 2. *c.* 18. *q.* 4. *&* omnes.

17 Quòd si petas, quod præceptum plus obliget? Dic regulariter omne naturale divinum, & divinum positivum obligare magis, quàm humanum; cum sit superioris præceptum. Insuper naturale divinum plus, quàm divinum positivum. Insuper præcepta primæ tabulæ, plusquam præcepta secundæ, & negativa plusquam affirmativa, & præcepta altioris virtutis, plusquam inferioris. Dixi regulariter quia potest evenire ob materiæ unius præcepti parvitatem, & alterius magnitudinem, vel propter majus boni communis periculum quod ex inferioris præcepti transgressione imminet, ut hoc magis obliget. Item major certitudo obligationis præcepti inferioris, potest ita prudentis arbitrio præponderare, ut jure optimo sit graviori anteponendum.

18 Atque ad discernendam majorem præcepti obligationem, non sola obligatio intensiva est spectanda, id est, ab altiori virtute procedens, vel sub majori culpa obligans: sed extensiva quandoque spectari debet. Ut plus intensivè obligat, id est, sub majori culpa, præceptum sanctificandi festa, quàm non jocosè mentiendi: at si cuiquam non permittatur festum observare, nisi mentiatur, tenetur non mentiri. Hujus enim obligatio extensiva est major, eò quòd mentiri sit intrinsecè malum. Similiter obligatio voti excedit inten-

intensivè multorum præceptorum obligationem, utporè que ab altiori religionis virtute pullulat, at extensivè est minor cujuslibet præcepti etiam humani vinculo, & hoc propter materiæ subtractionem, quæ minimè est voto apta, si cuiquam præcepto adversetur. Et ideò quolibet præceptum est voto anteferendum.

19 II. Regula. Quando attentis omnibus circumstantiis, vis major neutrius præcepti incompatibilis constiterit, utrumvis eligi potest. Quippe utrumque impleri nequit, & neutrius major est ratio, ut alteri præponatur. Sic *Cordub. in suo quæst. l. 3. q. 5. post 2. propositi. in 1. regul. Merina 1. 2. q. 19. ar. 4. conclus. 4. fol.* 305. Atque idem est dicendum, quando minùs est grave est certius, nec apparet an ea certitudo majori alterius gravitati præponderet. Quia eadem est ratio.

20 Limitanda tamen est regula hæc, nisi quando concurrunt ea duo præcepta æquàlia incompossibilia, probabilior sit alterius obligatio. Cum enim in hoc excedat, est præferendum. Sic *Cordubа regul. 2. & Merina num. precedenti allegati.*

21 Ultima regula. Si exiguus inter illa duo præcepta excessus reperiatur, sola venialis culpa erit levius servare omisso graviori. Quia ea materiæ parvitas à mortali excusat. Sic *Merina ubi n 19. cum retuli.*

22 Sed superest difficultas, an cessante necessitate eligendi alterius ex duobus malis, sit præceptum eligendi minoris, est voluntas alterum eligere velit? Perinde est hoc quærere, ac quærere, an in hoc actu conditionali, si peccatum a me admittendum esset, eligerem potiùs apostasiam à fide, aut aliud peccatum gravius, quàm mendacium leve, aut furtum, aliudve peccatum illis levius, inveniatur aliqua culpa præelectionis, & antepositionis illius culpæ majoris minori. Nam si ea culpa inveniatur, erit sub præcepto præelectio minoris mali. Culpa enim non reperitur, nisi quando alicui præcepto contravenitur. Et videtur non esse præceptum electionis mali. 1. Quia admittere id levius peccatum, est malum, & peccatum: cum voluntas tencatur utrumque respuere. At de peccato nequit esse præceptum. 2. Quia *cap. Duo mala, d.* 13. tamquam quid speciale decernitur, necessitate cogenti ad alterius mali electionem, esse minus eligendum. Ergo secùs est, quando nulla necessitas cogit, sed electio est voluntaria.

23 Sed pro vera resolutione præmittendum est, triplicitèr posse voluntatem in ea conditionali se habere. Primò, quando determinatè fertur, non in præelectionem, seu antepositionem unius mali alteri, sed in ipsum objectum malum. Secundò, quando fertur in solam præelectionem, seu antepositionem, Tertiò, quando fertur in utrumque.

24 I. Conclusio. Quando voluntas se habet primo modo, peccat: & tale est peccatum, quale est objectum volitum. Ut si voluntas proponat data occasione, aut mentiendi, aut furandi, se mentituram, peccabit peccato mendacii: si autem proponat furtum se admissuram, delinquet peccato furti. Ratio est aperta, quia in utroque casu, data illa occasione determinatur voluntas ad malum amplectendum. Ergo ejus culpæ est rea, cujus est id malum, Sicut in hac conditionali, si fornicandi ansa se offerret, fornicarer, reperitur fornicationis culpa. Et hæc conclusio est per se nota.

25 II. Conclusio. Quando voluntas se habet secundo modo, optimè facit præeligens, & anteponens minus malum perpetrare: peccat autem, si præeligat, aut anteponat minus malum. Ut si voluntas data hypothesi hac, si se offerret occasio aut mentiendi leviter, aut alterius peccati levioris, aut blasphemandi, alteriusve gravioris nullum admitterem, sed respuerem: at si ex malitia, aut fragilitate essem alterum peccatum admissura, eligerem potiùs malum minus, tunc rectè faceret: si autem majus malum, peccaret utique. Probatur, quia tunc voluntas proponit utrumque malum vitare, & data hypothesi, seu sub conditione alterius eligendi, quæ nil ponit in esse, determinatur ad minoris mali præelectionem, & magis cavendum majus. Hujusmodi autem præelectio est bona, & consona charitatis ordini dictanti majorem culpam majori odio prosequendam. Ergo nullatenus peccat, sed optimè se habet. Et confirmatur, quia ea minoris mali præelectio potest licitè consuli determinato ad majus perpetrandum: ( ut cum frequentissima Doctorum sent. latissimè probavi *lib. 7. de matrim. disp.* 11. *num.* 15. ) quia tunc nullatenus consulitur id malum, sed præelectio. Ergo hæc est bona: aliter consilium illius tamquam consilium peccati, esset iniquum. 2. Quia ex doctrina *D. Th. ab omnibus recepta 4. d.* 17. *q.* 2. *ar.* 3. *quæstiunc.* 3. *corp.* contritio obligat ad majorem dolorem de majori culpa, quàm de minori: quod omnes Doctores statim allegandi intelligunt non de majori dolore intensivo, seed appretiativo. Idq; per hanc conditionalem explicant, si mihi peccandum esset, eligerem potiùs minus malum: hoc enim nil aliud est, quàm majus malum majori odio prosequi. Sicut dolere magis appretiativè de peccato, quam de jactura cujuscumque rei temporalis, ( quod sub præcepto esse fatentur universi, ) nil aliud est, quàm in ea animi præparatione esse, ut si peccandum esset, aut omnium rerum jactura facienda, hæc potius eligeretur. Ergo illa minoris mali electio non tantùm est bona, sed etiam sub præcepto. 3. Quia etsi quodcumque peccatum alienum tenear præcepto correctionis fraternæ vitare: at ubi quispiam vult committere alterum ex duobus teneor arctiori vinculo majus vitare. Sicut etiam contingit in damnis temporalibus. Ergo à fortiori in me ipso teneor arctiori præcepto ad vitandum majus peccatum: ac proinde voluntas potiùs eligendi minoris mali, quàm majoris, quando ex fragilitate, aut malitia ad alterum determinaretur, est bona, & sub præcepto. 4. Quia hic actus, si mihi mentiendum esset, aut neganda fides, potiùs negarem fidem, præberet audientibus ingentem scandali, ac gravissimæ offensionis ansam, ac jure optimo in id dicentem sæviret, tamquam in pessimè præponentem veniale mendacium gravissimo negationis fidei peccato. Ergo hic actus est rationi disfonus, & peccatum. Sed non opponitur alij præcepto, quàm jubenti præelectionem minoris mali, ubi alterum præeligendum esset: quia ( ut suppono, ) ille est firmiter determinatus ad neutrum eligendum. Datur ergo præceptum electionis minoris mali, non absolutè, sed posita conditione, si aliquod eligendum esset, aut suppositа alterius eligendi voluntate. 5. Quia elicere actum eligendi tunc majoris mali, est practicè, seu opere ipso dicere, melius esse id majus malum, & perpetrare culpam mortalem, quàm venialem, & præponere levem Dei offensam aversioni ab ipso per culpam mortalem. Sicut fornicari est practicè, seu opere ipso dicere præponendam veneream voluptatem Dei honori. Quæ si speculativè judicarentur conformiter illi praxi, essent hæretica. Ergo praxi, & opere id affirmare est peccatum, & consequenter est præceptum data illa electionis hypotesi, ut minus malum eligatur. Tandem, quia ideo, quando necessitas alterutrius eligendi cogit, est præceptum eligendi minoris mali: quia est præceptum pluris faciendi præcepti de majori malo vitando, illique postponendi præceptum de minori vitando. Ergo idem præceptum est, quando voluntariè vult quispiam eligere. Quippè necessitas non efficit præceptum majoris mali potiùs quàm minoris vitandi, sed illud supponit: atque id solùm efficit, ut culpa non sit velle determinatè id minus malum exequi: qualis esset, ubi necessitas eligere non cogit. ( Ut *n.* 30. explicabimus ) Et ideo hanc sententiam sustinent *Sotus 4. d.* 17. *q.* 2. *art.* 4. *in 5. conclus.* ibi: *Licet culpa negs minima venialis sit eligibilis, neque ad evitandam aliam culpam: quia implicat contradictionem licere peccare: & ideo numquam datur casus, in quo licitum sit unum minimum peccatum committere ad vitandum maximum: tamen paratus debet esse animus, ut si aliquod ex hominis fragilitate committendum sit, potius sit minus, quàm majus admittendum. Sicut enim ad ordinem charitatis spectat, Deum præcunctis rebus diligere, sic ea acerbius detestari, quæ sunt illi magis externabilia.* Eccè quàm clarè loquitur de quavis voluntaria electione & conditionali, & non solum quando necessitas cogit. Quia dicit numquam dari casum, in quo liceat minus malum eligere: quod falsissimum esset: nam quando eligendi necessitas adest, datur is casus. ( Ut diximus *n.* 16. ) Item in illis verbis: *Paratus esse debet, ut si aliquod ex fragilitate committendum sit.* Nam quando necessitas cogit non committitur aliquod ex illis ex fragilitate, sed ex præcepto est minus committendum. Item, quia ratio, quam allignat, est generalis: amplecticurque quamcumque electionem ex quavis causa consurgentem. Quod idem clarè sentit *paulò infeorius, immediatè ante versiculum, Per hæc tandem*, ibi: *Facta conditionali comparatione, sic apprietativè plus detestari furtum, ut si alterum esset committendum, potiùs homo committeret homicidium, non est peccatum saltem mortale, dummodo firmum sit propositum neutrum committendi, sed est venialis perversio ordinis charitatis.* Ubi apertè loquitur, quando non est eligendi necessitas: hac enim stante non debet esse firmum neutrius eligendi propositum, cum sit præceptum eligendi tunc minoris. Idem etiam constat ex illis ejus verbis: *Facta conditionali comparatione.* Et *Barth. à Ledesma in Summa Sacramentorum, tractatu de pœnitentia, ubi de contritione, diffic. 6. col. penult.* ibi: *Licet neque minima culpa venialis sit eligibilis, attamen paratus debet esse animus, ut si aliquod ex hominis fragilitate committendum sit, potiùs sit minus, quàm majus admittendum.* Quæ sunt eadem prorsus verba paucis relictis, quæ ex *Soto* ponderavimus. Et *Martin. de Ledesma 2. p. 4. q. 2. art. 2. paulò post principium, in 4. propositi.* ibi: *Si quis faceret comparationem, peccaret, si potiùs eligeret offensionem Dei majorem, quàm minorem.* Et *statim versiculo, Unde dico*, hæc ait: *Hæc comparatio est stulta, quid potiùs facerem, hoc majus peccatum, an hoc minus? Sed si quis faceret illam, & potiùs eligeret majorem offensam Dei, quàm minorem; peccaret plus, quàm si eligeret minorem.* Ubi apertè hoc tenet, quatenus ait minùs peccari eligendo minus peccatum. Quippè quando electio est ex necessitate, nullatenus culpa admittitur, sed impletur præceptum. Atque alia priora verba sunt adeò aperta, ut nulla ponderatione indigeant. Et *Suarez 4. tom. in 3. p. disp. 3. sect.* 10. *num.* 6. ibi: *Si quis haberet hunc actum, mallem esse homicida, quàm fur, in eo actu peccaret, etiamsi aliunde haberet animum absolutum neutrum peccatum committendi.* Et *num.* 7. ibi: *Si quis deprehensus in furto levi haberet hunc actum, malluissem deprehendi in adulterio sine dubio peccaret mortaliter.* Quæ verba adeò sunt aperta de voluntaria electione, ut non oporteat ea ponderare. Quippè constat nullam necessitatem cogere eas comparationes facere, nec dari tunc necessitatem alterius eligendi. Et clariùs *num.* 8. ubi arguit nullam esse deformitatem in hac conditionali: si ad vitandum mendacium oportet sacrilegium committere, id facerem, Quia quando est necessarium ad vitandum aliud peccatum, jam non est peccatum; & refpondet his verbis; *Hypothesis illa, sub qua sit pra-*





*sit præsens comparatio, non est talis, ut excludat malitiam ab altero extremo. Nam potiùs sit comparatio inter gravius peccatum, minus grave, ex suppositione, quod utrumque sit peccatum.* Clarè ergo loquitur de voluntaria electione, nam quando est ex necessitate, non est utrumque peccatum. Et *Enriquez lib. 4. de pœnitentia, cap. 27. num.* 8. ibi; *Si quis habens firmum propositum nullum admittendi peccatum mortale, fictio casu optionis datæ eligeret ex infirmitate vitare potius peccatum mortale levius, solùm peccaret venialiter.* Ubi clarè de electione voluntaria loquitur il illis verbis: *Fictio casu optionis datæ.* Et in illis: *Eligeret ex infirmitate.* Ut proximè eadem ponderavi. Idem tenet *Petr. de Ledesma in Summa Sacramentorum, tract. de pœnitentia, cap. 6. post 9. conclus, versic. De lo dicho se sigue, fol.* 438. ubi postquam paulò ante dixerat esse debere majorem appretiativum dolorem majoris peccati, idque non esse necessarium, ut expresè, & formaliter fiat, sed virtute, sic ait: *Lo qual se esplica muy bien por esta condicional, que virtualmente tiene en su corazon el que tiene verdadera contricion: Si hurtara de peccar, antes cometiera pecado de hurto, que no de homicidio, por ser mas grave el homicidio.* Et dicit hanc esse *D. Thomæ*, & omnium Theologorum sententiam. Ecce quàm claris verbis loquitur de electione voluntaria.

26 Quòd si petas quale peccatum sit, ea conditione, & hypothesi facta, eligere majus peccatum? Dico si majus peccatum sit mortale, minus autem veniale, incurri absque ulla controversia culpam lethalem in ea majoris mali electione. Ut si quis haberet hunc actum: mallem deprehendi in homicidio, quàm in furto levi: aut si mihi eligendum esset inter mendacium leve, aut fornicationem, eligerem fornicari. Quia maxima est inordinatio præferre levem culpam mortali. Atque ita hoc esse absque controversia docet optimè *Suarez. 4. tom. in 3. p. disput. 3. sect.* 10. *n.* 7.

27 At difficultas est, quando utrumque est mortale. Quidam censent eam majoris culpæ electionem esse venialem. Quòd potissima culpæ mortalis gravitas consistat in aversione à Deo, in qua omnia lethalia conveniunt: & ideo illa electionis inordinatio non videtur adeò gravis, ut sufficiat ad mortale. Et ex altera parte est firmum propositum neutrius peccati committendi. Sic *Sotus 4. d.* 17. *q.* 2. *art.* 4. *post 5. conclusionem, immediatè ante versiculum, Per hæc tandem. Enriquez lib. 4. de pœnitentia, cap. 27. num.* 8. Et idem esse probabile *Martinus de Ledesma 1. p. 4. q. 2. art.* 3. *paulò post principium, in proposit.* 7. atque *in proposit.* 6. dixerat esse quoque probabile, culpam esse mortalem. Et dicit quoque probabile esse veniale, *Suarez ib. sect.* 10. *n.* 7. quando peccata ea mortalia non esent admodum disparia. Atque ego existimo tunc esse probabilius non esse mortale. Quod constat ex regula tradita *numero* 21. Secùs si admodum disparia esent, tunc enim bene ait *Suarez ibidem*, esse mortale. Quòd gravis sit inordinatio.

28 Id tamen monuerim, in ea conditionali, mallem deprehendi in gravissimo crimine non infami, quàm in veniali infami, ut in levi furto, posse electionem, & comparationem cadere non in ipsas culpas, sed in solam infamiam ex eis consurgentem, & tunc non esset mortale. Ut si quis haberet hunc actum, mallem existimari homicida, quàm mendax. Quia est levis inordinatio. Sic *Suarez eod. n.* 7.

29 Ultima Conclusio. Quando voluntas se habet tertio modo, nempè, quando fertur in utrumque, ut si eliceret hunc actum, si se offerret occasio furandi, aut negandæ fidei, furarer utique, ita ut voluntas non ad solam minoris mali electionem, aut antepositionem feratur; sed determinatur etiam ad illud furtum committendum, peccaret utique peccato furti. Quia utrumque tenebatur vitare. At non peccaret contra eligendi præceptum. Quippè hic actus in ratione electionis inter ea duo crimina, est ordinatus, utpotè qui rectè antepositit minus malum majori: quamvis inordinatus sit, quatenus determinatur ad minus malum perpetrandum, nulla eligendi necessitate cogenti. Quòd si electio esset majoris peccati, duplex esset culpa necessario in confessione exprimenda: altera contra præceptum illius peccati vitandi, altera contra præceptum bonæ electionis, præponendo peccatum longè gravius peccato multò leviori. Constat, quia hæc sunt diversa præcepta, & utrumque violatur. Præterea, quia ( ut *num.* 25. probavi ) ea pravæ electionis culpa reperiretur, quamvis voluntas firmum neutrius peccati committendi haberet: nec enim dicendum est, hac culpa tolli alteram.

30 Ex dictis deducitur discrimen inter actum conditionalem eligendi minoris mali, quando voluntas quoque determinatur ad illud patrandum, dum necessitas cogit, & ea non cogenti. Quòd in priori casu nulla culpa reperiatur, immò electio illa cadit sub præcepto. In posteriori autem reperitur culpa, non quidem pravæ electionis, sed contra præceptum illius peccati vitandi. Ut explicui *num. preced.*

31 Ad argumenta contraria proposita *n.* 22. respondetur. Ad primum, constat ex dictis illam electionem quatenus electio est, non esse peccatum, & sic de illa posse esse præceptum, nec in illa reperitur culpa, si voluntas firma sit neutrius peccati committendi, ( Ut *num.* 25. probavi. ) Quod si proponat levius committere, erit peccatum, non quidem in ratione electionis, sed ratione illius mali propositi. ( Ut *n.* 29. explicavi. ) Ad secundum, constat ex dictis *n. praced.* ubi discrimen inter utrumque casum constitui.

## SUMMARIUM.

*Dubitans, an aliquo casu sint imposita lex, aut præceptum, an teneatur ad illa? n.* 32. *& ibi remissivè, quid si dubitet, an illi satisfecerit?*

*Quid, si dubium sit, an res hæc comprehendatur sub legis, & præcepti verbis? num.* 33.

*Quid, si de lege & præcepto constet: at dubitetur, an ab illis excusetur? Et habens regulam prosè habet intentionem fundatam, & onus probandæ exceptionis vejcit in adversarium, num.* 34.

*Quid, si dubitetur, an lex sit usu recepta, aut consuetudine abrogata, aut in ea dispensatum sit? num.* 35.

*Dubitans, an votum emiserit, aut in id plus inclinans, aut id opinans, aut an illud implerit, an tenentur voto? n.* 36.

*Quando irregularitas est dubia dubio juris, aut facti, an liceat eo dubio nondum discusso, operari contra illam? n.* 37.

*An in dubio irregularitatis ex homicidio consurgentis, censendus quis sit irregularis? Referuntur varia sententiæ, num.* 38. 39. 40. *&* 41.

*Explicatur sententia Auctoris, & solvuntur contraria, n.* 42.

*An causa adorsus sit irregularis, existenti dubio, an fœtus sit animatus? n.* 43.

*An consulens homicidium, dubitansque, an consilium sit operatum, sit irregularis, ac restituere teneatur? num.* 44. *Ubi & quid si dubitet, an alter occiderit?*

*An in dubio facti sit censendus homicida irregularis, quoad alias pœnas, ut beneficiorum privationem, &c. ? n.* 45.

*An qui dubius dubio juris de irregularitate homicidii, aut censura; recepit ordines mala fide, eo quod non prius examinarit id jus dubium, possit post adhibitam diligentiam manente eodem dubio, in illis ministrare? n.* 46.

*An alia irregularitates in dubio facti incurrantur, nec id speciale sit in homicidio? Refertur quædam sententia, n.* 47.

*Explicatur sententia Auctoris, solvunturque contraria, n.* 48.

*Quid in hoc dubio facti de irregularitate mutilationis, & an in ea occulta possit Episcopus dispensare virtute Trident. sess.* 24. *c.* 6. *de reform. & qualiter exceptio debeat esse de contentis in regula, & ita eam firmet in casibus non exceptis, ut non extendat ad casus, qui ea exceptione non apposita, minimè elauderentur in regula? n.* 49.

*Quid in dubio occisionis justæ? n.* 50.

*An in dubio reputetur quispiam excommunicatus, sive sit dubium juris, sive facti? Referuntur varia sententiæ à n.* 51. *usq; ad* 55.

*Non reputatur excommunicatus, sive dubium sit juris, sive facti, num.* 56.

*Quid, si dubitatur, an judex excommunicationem tulerit, vel ipse, aut pars verum animum ligandi habuerit, vel verba judicis, aut juris excommunicantium contineant latam sententiam: aut cum constat de excommunicatione, at dubia est absolutio: aut si dubitatur de justa excommunicandi causa, aut debito in eo ordine observato? num.* 57.

*Quid si excommunicatio sit conditionalis, & dubitatur, an conditio sit impleta? n.* 58.

*Quid, si dubitatur, an appellatio illam præcesserit, & sic dubius sit ejus valor? n.* 59.

*Quid, si dubia sit ob dubiam excommunicantis potestatem? n.* 60.

*An ob excommunicationem dubiam impediatur promotio ad dignitatem? n.* 61.

*An omnia dicta de excommunicatione dubia, dicenda quoque sint de suspensione, & interdicto dubiis? n.* 62.

*Solvuntur argumenta, n.* 63.

*An peccata, quæ quis dubitat, an mortalia sint, teneatur fateri? Proponuntur probantia partem negantem, n.* 64.

*Explicatur quotupliciter possit esse hoc dubium, n.* 65.

*Sunt necessario fatenda peccata dubia, an sint mortalia, etsi dubitans inclinet in eam partem, ut mortalia non sint, n.* 66.

*Idem si quis dubitet, an aliquod mortale admiserit, n.* 67.

*In neutro casu sunt hæc fatenda, ut certa, sed ut dubia, n.* 68.

*Sunt fatenda circumstantia hujus peccati dubii: & quid, si non meminit speciei peccati certi, vel dubii, & si sic fatentur, ut meminit, teneatur postea scienes esse mortale, aut solens se admisisse, aut memor speciei, iterum illud fateri? n.* 69.

*An quando quis fatetur mortale dubium, teneatur aliquam materiam certam fateri? n.* 70.

*An dubius, an quoddam mortale fassus sit, aut in eam partem inclinans, ut illud sit fassus, teneatur id fateri, ac dubium explicare, & ante illam confessionem fuisse perpetratum? n.* 71.

*Quid, in dubio, an confessio fuerit irrita? n.* 72.

*Quid, quando dubitatur, an peccatum sit reservatum? Refertur quædam sententia, n.* 73.

*Explicatur sententia Auctoris, n.* 74.

*Quid, quando ille opinatur id peccatum non esse mortale, vel jam detectum in confessione? Refertur quædam sententia, n.* 75.

*Explicatur sententia Auctoris, n.* 76.

*Quid, si hic sit in mortis articulo constitutus? n.* 77.

*Satisfit argumentis, n.* 78.

*Post n.* 78. *invenies reliqua summaria.*

32 Quæstio III. Quid in dubio legum, votorum, censurarum, peccati necessariò confitendi, ac reservati censendum sit? Quæstio hæc varias difficultates petit. Prima est, quid in dubio legum censendum sit. Ut si facta sufficienti diligentia non constat, an in aliquo casu sit imposita lex, aut præceptum, sed res dubia manet. Vas-

*quez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 65. toto c. 3. & disp. 66. cap. 1. initio*, censet sic dubitantem obligari lege, aut præcepto. Nititur autem suo fundamento, quod *num.* 10. retulimus nempè, in dubio extra justitiæ materiam, esse semper id, quod tutius est amplectendum, nec suffragari possessionem. Idem censet *Salas* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disput. unic. sect.* 25. *num.* 258. cum hac limitatione, nisi dubitans ille præceptum exequi nequeat, sine magna incommoditate, aut periculo. Nititurque eodem fundamento, quod cum prædicta limitatione amplectitur. (Ut *n. eod.* 10. retulimus.) Sed multò verius est, præceptum & legem tunc temporis non obligare, sive sint naturalia, sive divina positiva, sive humana. Quod in hoc dubio sit tota possessio pro voluntatis libertate. Præterea, quia nemo obligatur lege, nisi illi sit sufficienter proposita. At quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius, an sint lex, & præceptum, non sunt illi sufficienter proposita. Ergo, etsi in genere, aut speculativè maneat dubius an sint lex, & præceptum, est in particulari, seu practicè certus, se non obligari tali lege. Sic docent *Suarez 5. t. in 3. p. disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 15. *Enriquez lib.* 8. *de Eucharist. c.* 45., *n.* 3. *in comment. lit. P. Emmanuel Sà Summa, verbo Dubium*, *n.* 2. Atq; idem tenentur dicere, quos *n.* 36. referemus, asserentes dubium de voto à se emisso, non teneri illo. Nam votum est lex quædam privata: quà vovens se ligat. Quando autem lex est certa, & dubium est, an illi sit satisfactum, diximus *n.* 12.

33 Atq; eodem modo dicendum est, nec legem, nec præceptum obligare, quoties de illis constat, at dubium est, an hæc res comprehendatur sub illis. Quippè tunc perinde prorsus est ac dubitare, an lex, & præceptum sint imposita de ea re. Atque ita *Salas num. præced. relatus* loquitur eodem prorsus modo in utroque casu.

34 Immo *Salas ead. sect.* 25. *n.* 259. censet idem dicendum esse, dum constat de lege, aut præcepto; at dubium est, an in eo casu ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis, eximatur aliquis ab illius obligatione. Ducitur, quia præceptum impropriissimè dicitur possidere: voluntas autem antea suam libertatem possidebat. Cæterùm dicendum prorsus est, hunc teneri lege, & præcepto. Quia antiqua libertatis voluntatis possessio hunc minimè juvat: cum certa sit lex ea libertate privans, ac proinde possessio est pro lege, & præcepto. Et confirmatur, quia (ut *num. seq.* dicemus *ex eod. Salas*) quoties lex est certa, at dubium est nùm consuetudine sit abrogata, obligatur quis lege, non obstanti antiqua libertatis voluntatis possessione. Ergo idem est censendum, quoties dubitatur de exemptione à lege, ob quamvis aliam causam. Nil enim refert, sive excusatio à lege certa sit ratione consuetudinis contrariæ, sive cujuslibet alius circumstantiæ. Cum in omnibus his casibus, lex, & præceptum sint certa, excusatio autem dubia, an spoliari debeat voluntas antiqua libertatis possessione, qua ante legem editam potiebatur. 2. Quia (ut *n.* 11. probavi,) idem judicium est in utroque forò, quando eodem modo est in utroque res dubia. At in hoc dubio forum externum coget ad observandum. Ut ex se constat, & ex Auctoribus statim allegandis, qui docent rejici in contrarium obligationem probandæ exceptionis, eò quòd præsumptio, ac possessio sit pro lege certa. Ergo similiter forum internum obligat. Tandem, quia nemo asseret certum de mutuo à se recepto, ac subinde de solvendi obligatione, liberari ea, quòd dubitet de causa aliqua excusanti. Atque ideo universi Doctores tradunt minimè compensationi locum esse, quando meum debitum est liquidum, quod autem alter mihi debet, est dubium. Ergo similiter ab omnium aliarum legum certarum obligatione non eximet excusatio dubia. Quippè omnes aliæ leges obligant perinde ac lex justitiæ. Et ideo pro hac sententia sunt *Decius consil.* 28. *num.* 8. *vol.* 1. & *c. Super eo, el* 2. *num.* 2. *de appellat. & ibi Berosus num.* 1. *Alciatus cons.* 433. *Gubernatorem, num.* 8. *Novizanus in Sylva nuptiali, lib.* 6. *num.* 47. *vers. In dubio appellatio. Surd. cons.* 334. *n.* 15. & 16. *vol.* 3. ubi dicunt, quoties lex est certa concedens appellationem, vel quidquam aliud; est autem dubium an casus aliquis ab illa excipiatur, servandam esse legem. Quòd habens pro se legem, habeat suam intentionem fundatam, ac exceptionem alleganti incumbat onus eam probandi. Ut bene tradunt *gloss. reg. Omnis definitio, paulo post princ. ff. de reg. juris, & rubrica eod. tit. ad fin. in* 6. ubi *Francus num.* 5. *Salicetus l. Si fundum, in fine, C. Qui potiores in pignore habeantur. Tiraq. alles referens de retractu lignag.* §. 1. *gloss.* 9. *num.* 211. *vers. Quibus adde. Everard. multis exornans in suis topicis, loco ab exceptione ad regul. num.* 12. *Tractatus iucerti Auctoris de crimine læsæ Majestatis q.* 1. *n.* 13. (*habetur tom.* 11. *tract. p.* 1.) *gloss. penult. Clem. fin. de rescript. Abbas rubr. Ut lite non contest. statim in princ. Covar.* dicens ab omnibus receptum. *lib.* 2. *var. c.* 12. *n.* 4. *Gonzalez in reg.* 8. *Cancellariæ, gloss.* 8. *n.* 72. Atq; in propriis terminis hanc partem tuetur *Molina* 1. 2. *q.* 69. *ar.* 6. *ad finem in* 3. *propositione.*

35 Hinc deducitur, quid sentiendum sit de eo, quod docent *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 2. *c.* 19. *q.* 12. & *Salas eadem disput. unic. in sect.* 18. *num.* 169. nempè, dubitantem, an aliqua lex excommunicationem, suspensionem, irregularitatemve imponens, sit usu recepta, integrum esse reputare non esse usu receptam, ac proinde non obligare. Et idem existenti duplici opinione probabili, quarum altera id affirmat, altera negat. Ducuntur, quod cum lex sit pœnalis, est benignior pars amplectenda. At cum res est sub opinione, placet mihi posse probabilem dicentem non esse usu receptam, ac proinde non obligare amplecti, quamvis contraria sit probabilior: ob ea quæ dixi *c. præcedenti, à n.* 14. At cum est sub dubio, id displicet: sed credo illum ea lege teneri. Quia cum constet de lege, extat pro ea præsumptio, & possessio, & proinde alleganti eam non esse usu receptam, ut ab ejus obligatione eximatur, incumbit onus probandi. Et ideo dum non probat, sed anceps est, tenetur lege. Et hoc quoque probant omnes rationes adductæ *n. præced.* Atque similiter lege tenetur, si dubitet, an usu abrogata sit. Ut benè docet *Idem Salas eadem disput. unic. sect.* 26. *num.* 265. *in fine.* Et idem dicendum est, si dubitet, an ea lex sublata sit, aut in ea sit dispensatum. Quia cum in his omnibus eventibus obligatio legis sit certa, ea utique possidet.

36 Secunda difficultas est circa vota. An dubius nùm votum, vel juramentum emiserit, nec præmissa debita diligentia potest illud vincere, teneatur voto, aut juramento? Aliqui eum teneri existimant. Quòd in re dubia sit necessariò tutior pars eligenda; nec juvat possessio extra justitiæ materiam: juxta opinionem *num.* 10. relatam. Sic docent *Cordubæ summa, quæst.* 147. *Anton. Perez certam.* 10 *scholast. dub.* 2. *num.* 132. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 10. *artic.* 6. *disp.* 165. *cap.* 3. *in fine. Azor. tom.* 1. *institut. moral. lib.* 2. *c.* 19. *q.* 10. & *lib.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 2. *Sayro in clavi reg. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 36. & *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disput. unic. sectione* 17. *n.* 162. & *sect.* 25. *num.* 252. & 253. Cum hæc tamen limitatione id intelligit *Salas*, quando in voti impletione non est magna incommoditas, & difficultas. Cæterùm multò verius est, hunc nullatenus teneri voto, vel juramento. Ducor, quòd nulla sit possessio pro voto, vel juramento, sed tota pro voluntatis libertate. Quam in omnibus materiis suffragari, nec tunc partem tutiorem esse necessario amplectendam, probavi *num.* 11. Et ideo hanc partem videtur sentire *gloss. c. Ex parte, proximè ante verb. Ex parte, de censibus*, ubi ait in dubiis licere sequi, quod libuerit: & videtur loqui de voto, de quo ille textus agit. Et in propr is voti terminis hoc docent *Sotus lib.* 7. *de just. q.* 3. *art.* 2. *documen.* 2. *versic. Sed est hic. Medina lib.* 1. *Summæ, c.* 14. §. 7. *fol.* 90. *Suarez* 5. *tom. in* 3. *part. disp.* 40. *sectione* 5. *n.* 15. *Emmanuel Sà in summa. verb. Dubium, n.* 2. & *verbum Votum, in princ. numer.* 2. *Ludovicus Lopez* 1. *part. instructorii conscientiæ, c.* 45. *vers. Dubitans de voto. Enriquez lib.* 8. *de Eucharist. c.* 45. *num.* 3. *in comment. lit. P. & lib.* 11. *de matrim. c.* 11. *num.* 5. *Manuel* 2. *tom. Sum. c.* 99. *num.* 5. *Graff.* 1. *par. decision. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 7. *Rebellus de just. par.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 2. *n.* 10. & 11. Et quamvis *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 34. dixerim eum, qui non omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinat, ut votum emiserit, & sic suspicionem voti habet, teneri voto non integrè, sed ad partem pro ratione majoris hujus propensionis. Quia illa major judicii determinatio etiam cum formidine compensat sufficienter excessum possessionis, quem alter habet. Atque innixus fui simili doctrinæ in materia justitiæ, quam *ibi numer.* 19. tenui. At sicut *in hoc cap. num.* 9. dixi id esse probabile in materia justitiæ, at probabilius esse ad nil teneri: ita etiam in hoc casu sentio hunc ad nullam voti partem teneri. Ducorque eadem ratione *eodem numer.* 9. tradita. Quod sustinet *Salas eadem disput. unic. sectione* 25. *num.* 254. Et satis favet *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 3. *artic.* 2. *colum.* 3. *versic. Hic vero*, ubi ait in dubio usus rationis non sat esse quamcumque opinionem, ut quis voto teneatur, sed oportere, ut ratio id convincat, & sit res ita certa, ut tenuissima dubitandi ratio superfit. Et probat ratione possessionis libertatis in dubio. Quare immeritò *Rebellus proximè allegatus* dicit hunc teneri voto, & juramento, nec hoc ab aliquo negari. Addit autem duo *Salas ibidem*. Prius est, oppositum esse falsum. Sed injustè id ait, cum sit satis probabile oppositum. Posterius est, ut hoc sit limitandum, ut tunc temporis non teneatur voto, quando magna incommoditas in ejus executione est. Quia (ut *numero* 10. retuli,) sentit possessionem non suffragari extra materiam justitiæ, nisi cum hac limitatione. At cum *numero* 11. probaverim eodem prorsus modo suffragari, quo in materia justitiæ, dicendum est, hunc nulla voti parte teneri, etiamsi facilè implere possit. Sicut *num.* 9. diximus in simili dubio in materia justitiæ possidentem nil teneri restituere. Præterea subdit *Salas ibid.*, exigi, ut hic teneatur voto, rationes ita convincere votum emissum esse, ut nulla maneat formido partis oppositæ. Quòd etiam ita universaliter dictum non approbo. Quippè si hic opinetur se vovisse cum formidine partis oppositæ, quam opinio in se claudit, ita tamen, ut nullam oppositæ, partis probabilem opinionem concipiat, tenebitur utique integrè votum implere: si verò ita opinetur hanc partem, ut se quoque non vovisse probabiliter opinetur, quamvis hoc sit illi minùs probabile, ad nullam voti partem tenebitur. Sicut utrumque in materia justitiæ probavi *numero* 9. Quòd si certus sit de voto, aut juramento, dubius autem an implerit, dixi *n.* 12. teneri implere. Alia quoque dubia in votorum obligatione passim occurrunt, quæ *l.* 4. in proprio tractatu *de voto* sunt enodanda.

37 Tertia difficultas est circa irregularitatem. An in dubio juris, vel facti, de delicto, cui est annexa irregularitas, censendus quispiam sit irregularis? Qua in re id tamquam certum est præmittendum: sive dubium sit juris, sive facti, esse iniquum operari contra eam irregularitatem dubiam, nondum apposita sufficienti diligentia ad assequendam veritatem. Constat, quia sic operans exponitur manifesto violandæ irregularitatis periculo. Item quia in dubio, an res aliqua sit licita, & in dubio præcepti, est nefas operari contra id præceptum, ante adhibitam prædictam diligentiam (ut *numero* 2. probavi.) At irregularitas includit præceptum abstinendi ab ordinum actibus. Tandem quia dubium speculativum, nondum plenè examinatum infert semper idem dubium practicum; quod prudenter deponi nequit nondum apposita diligentia. Atque ita optimè docent *Suarez tomo* 5. *in* 3. *part. disput.* 40. *sectione* 5. *numero* 12. *Salas* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 10. *disput. unic. sect.* 18. *numero* 164. & 165. Qui tamen hoc limitat *numero* 169. nisi interim dum in dubium examinatur, magnam incommoditatem ille pateretur, se irregularem reputando. Ut quia præterit occasio ordinum suscipiendorum, vel beneficii, lucrive magni comparandorum. Quippè cum id dubium nequeat tam cito examinari, lex non obligat in dubio cum tanto detrimento. Cæterùm vix auderem hoc sequi, nisi notabile esset damnum, quale non est præterire occasionem ordines suscipiendi.

38 Difficultas autem eò pertinet, quando præmissa debita diligentia res manet adhuc dubia. Qua in re priùs disputabimus de homicidii irregularitate, & deinde de aliis. Variè sunt sententiæ de homicidii irregularitate in hoc dubio. Prima sustinet in hoc dubio, sive juris, sive facti, neminem esse irregularem in foro conscientiæ. Ducitur primò, quòd in dubio sit melior possidentis conditio in omni materia (ut *n.* 11. probavi.) At hic possidet immunitatem ab irregularitate. Secundò, quia pœnæ sunt molliendæ, *reg. In pœnis de regul. juris in* 6. Cum ergo hæc irregularitas sit delicti pœna, est potiùs mollienda, ne censeatur in dubio contrahi in foro conscientiæ. Tertio, quia textus illam in dubio facti statuentes, videntur clarè loqui in foro externo. Ut *c. Ad audientiam, de homicid.* ibi. *Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit.* Et paulò inferiùs: *Vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.* Quę verba ad judicem referuntur: & sic videtur exigi sententia, aut declaratio judicis, ut ea irregularitas in dubio incurratur. Et si esset irregularitas ipso jure imposita, interdiceret utique omnium ordinum ministerium. Et pro hac sententia est *Innocen. ibi, in fine*, ubi absolutè docet in dubio non esse quempiam irregularem. Atque in propriis terminis docet *Enriquez lib.* 14. *de irregular. c.* 3. *n.* 3. & 4. & *c.* 14. *n.* 3. & *c.* 15. *num.* 3. Addit *eo c.* 14. *n.* 3. & *c.* 13. *n.* 2 *in fine*, si hic probabilius credat se homicidam fuisse, debere se reputare irregularem. Et *Suarez* 5. *tom. in* 3. *part. disputat.* 40. *sect.* 6. *num.* 10. ait satis apparenter dici posse exigi hanc sententiam, nec id dicentem posse facilè convinci. Et *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. unica, sect.* 6. *n.* 70. dicit non videri improbabile. Et *Rebellus tract. de just. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 3. *sect.* 2. *num.* 13. refert quosdam Recentiores sentire, idque nonnihil probabilitatis habere, in æquali dubio facti idque nonnihil probabilitatis habere, in æquali dubio facti consensu eorum quempiam irregularem. Quia *dict. c. Ad audientiam*, ubi oppositum decidit, procedit quando homicidium est ita dubium, ut verosimilius sit id fuisse perpetratum. Sic enim videtur declarari, *c. significasti, el* 2. *ad finem de homicid.* Quippe rationes ibi à Pontifice traditę monstrant clarè esse verisimilius, id homicidium fuisse commissum. Et ita videtur sentire *Molina lib.* 1. *Summæ, cap.* 11. §. 11. *in fine*, ait enim tunc esse hunc irregularem, quando in eam partem potiùs inclinat, ut occiderit.

39 Secunda sententia è diametro contraria, ait in dubio censeri hunc irregularem in foro conscientię, non autem in externo. Quia in foro externo nequit judex, absque sufficienti probatione, qua reddatur certum moraliter delictum damnare. At in foro conscientię pars tutior est amplectenda. Hanc sententiam videntur clarè tenere multi, qui in hoc irregularitatis dubio hanc duplicem regulam statuunt. Prior est in dubio, nec magister, nec judex debet quempiam reputare irregularem. Posterior, unusquisque debet se in dubio reputare irregularem. Hi sunt *Hostiens. c. Ad audientiam, in fine de homic. & ibi Joannes Andr. n.* 5. *Anton. in fin. Ancharanus n.* 15. *Annania in fin. Sylvest. verb. Homicidium* 3. *q.* 1. *Armilla verb. Irregularitas, n.* 8. & 9. *Tabiena verb. Irregularitas* 1. *quæst.* 3. *n.* 4. *Majolus de irregular. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 3. *regula* 7. & *lib.* 5. *c.* 51. *n.* 10. *ver.* 2. *limitatur*: ubi addit utramque regulam procedere, sive dubium sit juris, sive facti. *Manuel* 1. *tom. Summæ, in* 2. *editione, c.* 157. *n.* 3. Et explicant *Sylvestr. Majolus, & Manuel*, hunc in foro contentioso, ubi agitur ad pœnam, non censendum irregularem, secùs in foro conscientię. Et in propriis terminis tenet hanc sententiam ita explicans has regulas, *Cardin. eo c. Ad audientiam, num.* 77. & eadem tenet *Navar. sum. Lazin. & Visp. c.* 27. *n.* 193. *Ledes.* 2. *p.* 4. *q.* 26. *ar.* 2. *in tract. de irregul. paulo post princ. in* 2. *reg. Philiarc. de offic. Sacer. t.* 1. *p.* 1. *lib.* 4. *c.* 6. *not.* ab. 2.

40 III. Sententia ait in foro conscientię, seu pœnitentiali, esse tutiorem partem amplectendam, ut hic censeatur irregularis: & similiter in foro quasi pœnitentiali, ubi non agitur ad pœnam propriè, sed ut hic ab ordinum ministerio se abstineant: secùs autem in foro contentioso, ubi purè agitur ad pœnam imponendam. Quia pœna in delicto dubio imponi nequit. Hanc sustinet *Abbas c. Ad audientiam n.* 2. *de homic. & ibi Marian. Socin. Senior, q.* 3. *n.* 18. & *triplic. seq. Felin. num.* 1. *Idem Abbas c. Significasti, el* 2. *n.* 4. *eod. tit. & ibi Marian. Socin. Senior. n.* 4. *Ananias n.* 23. *Rosella in sum. verb. Dubia, n. unic. Angel. verb. Dubium, num.* 2. & *ibi Syl. q.* 4. *n.* 7. *Tabiena quæst.* 2. *num.* 3. *Idem Sylv. verb. Aborsus, in fin. Vega* 2. *tomo sum. cap.* 11. *casu* 28.

41 IV. Sententia sustinet in utroque foro esse hunc irregularem, sive dubium sit juris, sive facti. Ducitur, quia id expressè deciditur, quando dubium est facti, *in c. Ad audientiam, & c. significasti, el* 2. & *c. penult. de homicid.* & redditur ibi hæc ratio, quia in dubio pars tutior est eligenda. Quod principium tamquam naturale, ac jure naturali obligans supponitur ibi, atque illi innitendo deciditur hunc esse irregularem. Sed simile animæ periculum militat, quando est dubium juris, nisi hic sequatur partem tutiorem, reputans se irregularem, & abstinens ab ordinum usu. Ergo in utroque dubio est censendus irregularis. Hanc tenet *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 65. *toto c.* 3. & *disp.* 66. *toto c.* 1.

42 Ultima sententia (cui tamquam multò veriori adhæreo,) sic distinguit. Aut dubium est juris, nempe, quia non constat irregularitatem statutam jure esse in eo casu, & tunc in neutro foro est hic irregularis censendus. Aut dubium est facti, puta, quia certum est irregularitatem esse jure in eo casu inductam, at dubium est, an hic in eum casum incideritne verbi gratia, an fuerit verus homicida: & tunc in utroque foro est censendus irregularis. Probatur prior pars de dubio juris, ex *c. Is qui de sent. excomm. in* 6. ubi deciditur, ubi jus est apparens, aut simile, id non sufficere ad irregularitatem inducendam, eò quòd non sit expressa in jure a fortiori ergo non sufficiet, ubi totum jus est dubium. Et confirmatur, quia textus inducentes irregularitatem in dubio homicidii, qui sunt *c. Ad audientiam, c. Significasti, el* 2. *c. penultimum de homicidio*, loquuntur in dubio commissi homicidii, & proinde in dubio facti. Cum ergo nullum sit jus eam statuens, in dubio juris non est statuenda. Secundo, quia non est similis ratio in dubio juris, & in dubio facti. Quòd etsi irregularitas procedat ex facto, tamquam ex radice, vel occasione: at per se oritur ex jure eam statuenti, tamquam ex causa efficienti: & ideò si jus est dubium, nequit suum effectum producere. At stante facto dubio, potest esse jus certum statuens in dubio irregularitatem. Tertiò, quia si in foro externo non constet hoc jus imponens irregularitatem, non damnabitur hic tamquam irregularis: judex enim juxta jus sententiam proferre debet. Nec ergo in foro conscientiæ est damnandus tamquam irregularis. Cùm mitiùs agatur in conscientiæ foro, quod est forum animæ, & misericordiæ, quàm in externo, quod ad solam delicti punitionem tendit. Quarto quia in pœnis ipso jure inflictis, qualis est irregularitas, delinquens ipse est judex, qui contra se proferre debet sententiam, & illam exequi in se ipso. Ergo ei integrum erit in conscientia, uti eodem juris principio, ut cum jus est dubium, se potiùs absolvat, quàm damnet. Tandem, quia lex non obligat ante sufficientem ejus promulgationem. Jus autem dubium non censetur sufficienter promulgatum. Probatur autem posterior pars, nempe, in dubio facti censendum hunc irregularem in utroque foro. Primò, quia ita expressè deciditur, *c. Ad audientiam, c. Significasti, el* 2. *cap. penult. de homicid.*: quod cum justum sit, nec falsæ præsumptioni innitatur, obligat in utroque foro, instar cujuscumque legis justæ. Nec *c. Significasti*, loquitur tantùm, quando est verisimilius fuisse commissum homicidium; contra Doctores relatos *num.* 38. *in fin.* Quia *ibi versic. Quòd si discerni*, priùs deciditur casus juxta *d. c. Ad audientiam*, nempe quando est dubium, & discerni nequit homicidium, & redditur eademmet ratio, quòd in dubio sit sequenda pars tutior, qualis est hæc, & deinde quasi ex superabundanti addit Pontifex rationes suadentes in proposito ibi casu esse verisimilius, fuisse homicidium subsecutum: vel potiùs declarat alium casum, dicens hujusmodi homicidam plectendum esse pœnis homicidii, eò quòd excesserit moderamen inculpatę tutelę: Et *c. Ad audientiam*, loquitur expressè in casu dubio: cum textus expressè dicat, *in dubio*, & casus ibi propositus indicat apertè, non esse verosimilius, fuisse commissum homicidium. Secundò, quia in foro externo hic condemnabitur tamquam irregularis, juxta eorum textuum decisionem, nec ex falsa præsumptione, cum constet homicidium esse dubium. Ergo similiter est damnandus in foro conscientię. Cum in utroque foro idem judicandum sit, quando externum non innititur falsę præsumptioni. Ut probavi *n.* 11. in ratione penultima. Dices eam irregularitatem statui in pœnam, & sic indigere judicis sententia, ac proinde non esse idem in utroque foro judicandum. Fateor statui in pœnam; at cum sit pœna suapte natura non indigens aliqua judicis sententia, jus eam inducens censetur illam ita statuere, ut ex facto ipso oriatur in quoque foro, nulla judicis sententia expectata. Tertiò, quia *c. ad Audientiam*, loquitur apertè in foro externo, ibi: *Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit.* Et *paulo inferiùs, vos convenit injungere presbytero memorato.* Ergo in foro externo hic reputatur irregularis. Rursus idem textus loquitur etiam in foro interno, ibi: *Poteris concedere ut minoribus ordinibus sit contentus.* Ubi *Glossa finalis* dicit id posse concedi dispensando. Si ergo eget dispensatione, est in utroque foro irregularis. Et *d. c. Significasti, el* 2. ibi *A Sacerdot. officio abstinere debet.* Nam verbum *debet*, importat regulariter præceptum, ubi aliud non indicat materia, de qua tractatur. Ut ex multis probavi *lib.* 4. *de matrim. disp.* 23. *n.* 2. Et ex his constat ad argumenta contraria solutio. Nam ad proposita *num.* 38. pro prima sententia respondetur. Ad primum dic eam regulam non suffragari in hoc casu, est enim necessario intelligenda præter casus in jure expressos, ex quibus est hic. Cum jure decisum sit, in dubio facti censendum quempiam irregularem. Ad secundum negatur consequentia. Quia, cum ea pœna sit jure obliganti in utroque foro expressa non ita